Iosephus Antonius Rojas Carrera
jarcius@gmail.com

DE LATINITATE PERENNI VNIVERSALIQVE

Conspectus litterarum Latinarum omnis aevi

Lingua Latina non solum est veterum romanorum sermo patrius sed etiam communis ac perennis eruditorum hominum sermo[(a)], utpote[(b)] cuius litterarum patrimonium non modo diversarum regionum confinia, verum etiam temporis repagula mirum quantum superet:

a) *Certum* enim *sermonis genus, quod ubique et omnibus aetatibus intelligi possit* (*Philippus Melanchton*).
b) Duplex etiam sermonis Latini beneficium, opportune autem adhibita communi quadam verba enuntiandi ratione, Iohannes Milton, inter alios auctores, teste professore Terentio Tunberg, nos monuit.

1. **veterum Romanorum aetate**:



Cicero in senatu Catilinam accusans, pictore ***Caesare Maccari*** (1840-1919)

Litterarum enim genera fere omnia Romani a Graecis hauserunt, non ita tamen, ut interpretes tantum viderentur aut nonnisi ea quae apud illos invenissent, mutatis tantum verbis, significarent, sed ut nova cogitata ac sententias vere suas in usitata illa genera, tamquam ... in aliena vasa infunderent atque immitterent.
(Giovanni Mammone, *Latinarum Litterarum Historiae*, Carlo Signorelli Editore, Milano, 1951., p. 7)

Ut quidam veterum litterarum Romanarum pervestigatores asseverant, e 772 veteribus auctoribus romanis –quorum quidem nomina ad nos pervenerint- 276 scriptores ne unam quidem lineam, temporis iniuriā, nobis reliquerunt; 352 saltem auctorum loci e faucibus irreparabilis Saturni seu Croni, velut e letali Charibdis voragine, superstites feliciter evaserunt, 144 denique auctores –qui quidem 20% eorum omnium numero sunt- unum dumtaxat opus integrum nobis felici quidem fato tanquam hereditate tradiderunt.



Vergilius Aeneida recitat coram Caeare Augusto, Livia Octaviaque, pictore ***Ingres*** (1780-1867)

Quidam igitur veteres auctores, inter alios multos, hi sunt praeclari:

Auctor	vitam introiit - amisit	aditus ad eius opera U.D. (in usum Delphini) B.C. (Bibliotheca Classica)	loci eius excerpti
CORPVS VETERVM POETARVM LATINORVM			

Titus M. Plautus	(ca. 250 - 184)	U.D. 1, 2, 3, 4, 5 –B.C. 1, 2, 3, 4	E fabula q.i. ***Miles[2] gloriosus[2]*** *atque ex* ***Amphitruone****…*
Quintus Ennius	(c. 239 – c. 169)	*Annalium fragmenta*	*Fragmenta ex Annalium libris* [5]
Publius Terentius Afer	(ca. 190 - 159)	U.D. 1, 2, 3, 4 –B.C. 1, 2, 3	*e fabula q.i.* ***Adelphoe*** [10] *atque e fabula c.t.* ***Heautontimoroumenos***
Caius Lucilius	(c. 180 – 103/2)	Saturarum reliquiae	Excerpta [11]
Marcus Tullius Cicero	(106 - 43 a. Chr. n.)	U.D. 1,2,3,4,5,6,7,8,9,10,11,12,13,14,15,16 B.C.1,2,3,4,5,6,7,8,9,10,11,12,13,14,15,16,17,18,19 *Terentii Tunberg* ***oratio*** *de Cicerone per saecula lecto, laudato, imitatione denique expresso.*	*Textus*[15] *excerpti aliquot*
Caius Iulius Caesar	(100 - 44 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2, 3, 4 –B.C. 1, 2, 3, 4	*Textus*[20] *excerpti aliquot*
Cornelius Nepos	(c. 100 - 25 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2 –B.C. 1	De Hannibale [21]
Titus Lucretius Carus	(97 - 55 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2, 3, 4 –B.C. 1, 2	*E primis*[25] ***de rerum natura*** *libris*
Caius Valerius Catullus	(ca. 87 - 54 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2 –B.C. 1	***Carmina*** *aliquot*[30]
Caius Sallustius Crispus	(86 - 34 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2–B.C. 1	*Textus excerpti aliquot*[35]
Publius Vergilius Maro	(70 - 19 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10 B.C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8	Versus excerpti ex auctoris tribus praeclaris carminibus[40]
Quintus Horatius Flaccus	(65 - 8 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2, 3, 4, 5 -B.C. 1, 2, 3	Carmina aliquot excerpta[45]
Titus Livius	(ca. 59 a. Chr. n. - ca. 14 p. Chr. n.)	U.D.1,2,3,4,5,6,7,8,9,10,11,12,13,14,15,16,17,18,19,20 B.C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 (1), 12 (2)	[50]
Albius Tibullus	(c. 55 – 19 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2 –B.C. 1	*ex* ***elegiarum*** *libri I capite X*[55]
Sulpicia	(s. I a. Chr.)	U.D. 1	Carmina [56]
Sextus Aurelius Propertius	(c. 50…45 – c. 15 a. Chr. n.)	U.D. 1, 2 –B.C. 1	[57]
Publius Ovidius Naso	(43 a. Chr. n. - 18 p. Chr. n.)	U.D. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 B.C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9(1), 9(2)	*Excerpta e Metamorphoseon libris* [60]
C. Iulius Phaedrus	(ca. 10 a. Chr. n. - ca. 60 p. Chr. n.)	U.D. 1, 2 –B.C. 1, 2	Apologi aliquot selecti [65]
Petronius Arbiter	(obiit 66 p. Chr. n.)	*Satirarum reliquiae* De Petronii vita et opera Daniel Peterson satis diserte eleganterque refert.	[70]
Lucius Annaeus Seneca	(ca. 4 a. Chr. n. - 65 p. Chr. n.)	B.C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9	Textus excerpti aliquot [75]
C. Plinius Secundus (Maior)	(ca. 23 - 79)	U.D. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 B.C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11	[80]
Aulus Persius Flaccus	(ca. 34 - ca. 62)	U.D. 1	[81]
Marcus Fabius Quintilianus	(ca. 35 - ca. 100)	B.C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7	[85]
Marcus Annaeus Lucanus	(ca. 39 - ca. 65)	B.C. 1, 2, 3	[86]
M. Valerius Martialis	(ca. 40 - ca. 104)	U.D. 1, 2 -B.C. 1, 2, 3	Epigrammata [90]
C. Cornelius Tacitus	(ca. 55 - post 117)	B.C. 1, 2, 3, 4, 5 U.D. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11	[95]
Decimus Iunius Iuvenalis	(ca. 60 - 128)	U.D. 1,2,3 B.C. 1,2	[96]
C. Plinius Caecilius Secundus	(ca. 61 - 113)	B.C. 1,2	[100]
Lucius Annaeus Florus	(c.74 – c. 130)	U.D. 1, 2 -B.C. 1	[101]
Apuleius	(ca. 125 - ca. 180)	U.D. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7	[105]
Aulus Gellius	(ca. 130 - post 170)	U.D. 1, 2, 3, 4 *Iustini Scloci* ***oratio*** *de iucunditate Auli Gellii Noctium Atticarum*	[110]
Minucius Felix	(150 - 270)	opera	[115]
Tertullianus	(ca. 160 - post 220)	opera	[120]
Sanctus Cyprianus	(ca. 200 - post 258)	opera	[125]
Flavius Eutropius	(c.230 - 270)	U.D. 1, 2	[126]
Lactantius	(ca. 260 - post 326)	opera	[130]
Decimus Magnus Ausonius	(c. 310 – c. 395)	U.D. 1, 2, 3	[131]
Hieronymus	(ca. 345 - ca. 420)	opera	[135]
Prudentius Clemens	(ca. 348 - ca. 410)	U.D. 1, 2, 3 opera	[140]
TESTAMENTVM PORCELLI (cum Apicii notis) De testamento Grunni Corocottae porcelli commentarius latinus			
Paulinus Nolensis	(354 - 401)	opera	[145]
Augustinus	(354 - 430)	opera	[150]
Martianus Capella	(360 - 428)	*De nuptiis Philologiae et Mercurii*	[155]
Claudius Claudianus	(c. 370 – c. 405)	U.D. 1, 2, 3 -B.C. 1, 2, 3	[156]
Boethius	(ca. 480 - 524)	U.D. 1, 2	[160]
cet. …			

Latine scribendi et loquendi normae inde a saeculo V post Christum natum non ex usu populi, non ex ullius gentis consuetudine, sed e scriptis petebantur.

–Normas quidem Latine scribendi et loquendi, ad quas docti homines orationem suam dirigere soliti sint, iam ab usu populi multo ante saeculum V semotas esse suspicamur-.

(**Terentius Tunberg**, *Quaenam Erasmus ille Roterodamus de litterarum Latinarum recentissimarum patrimonio senserit.*

De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes, *quas edidit Theodericus Sacré. Acta conventiculorum Academiae Latinitati Fovendae,* p. 29).

Ceterum, ut initio significavimus, lingua Latina non est tantum veterum Romanorum sermo. Immo, ut egregius professor Jürgen Leonhard, cui quidem astipulantur alii litterarum pervestigatores, perspicuis allatis documentis magnique ponderis testimoniis, asseverat, e denis millenis operibus Latine scriptis, unum tantum opus a quodam vetere auctore romano scriptum est!

Etenim, post veterum romanorum aetatem, homines docti, quibus linguam Latinam una cum lacte materno, ut aiunt, facile ac libenter haurire a Fatis non amplius dabatur, sed tantum librorum ope magistrorumque auxilio impigre seduloque eam perdiscere debebant, communi quasi quodam societatis vinculo coniuncti, singularem eandemque universalem ac perpetuam nescio quam rem publicam constituerunt, quam quidem rem publicam litterarum Aloisius Miraglia, de lingua litterisque latinis optime meritus vir, pereleganter hisce infra descriptis verbis depinxit, in praefatione commentationis ***Ne bibamus pocula Lethes*** inscriptae, quam edidit in docto commentario c.i. ***Mantinea***:

Est enim litteraria res publica ita constituta ut nec temporum nec locorum finibus contineatur; cuius cives, non modo nationum civitatumque saeptis, verum etiam aetatum omnium repagulis et artis saeculorum claustris effractis, inter sese uno litterarum vinculo coniunguntur. Senserunt igitur iam inde a remotis temporibus viri docti ad hanc rem publicam constituendam, fovendam, provehendam unā opus esse linguā, quae nequaquam, sicut ceteri sermones solent, identidem mutaretur; unde mortuam ***linguam in immortalium numerum rettulerunt, quā immutabili facile suis in colloquiis uti possent. Est igitur haec lingua, testibus Vallā, Mureto aliisque quam plurimis, magnum sacramentum, aerarium sapientiae, sacrarium doctrinae. Usi sunt eruditi hoc sermone, non sine probando quodam artificio, ut facile ac sponte Erasmus est confessus, per saecula et hominum aetates, quamvis numquam defuerunt qui, sive pigritiā adducti, sive malitiā impulsi, sive falsis ac speciosioribus quam verioribus sententiis tracti, eius perpetue et numquam intermisso usui resistere vellent.***

Quocirca, praeter illa opera antiqua quae ad nos felici fato pervenerunt, permulta alia opera post veterum romanorum aetatem scripta sunt:

2. **Medio**, quod appellant, **Ævo**:



Capitulum postremum, pictore **Penrose** (1862-1932)


Dissoluto imperio Romano, iacente disciplina grammatica inde a saeculo VI plurimi Latine loqui et scribere {secundum normas quae inveniebantur apud veteres auctores qui optimi tradebantur} ***dedidicerunt. Tunc e vulgari Latino sermone*** {id quod, nisi fallor, aliquot ante saeculis iam accidere ac fieri gradatim coeperat} ***exiguo tempore exortae sunt linguae q.d. Romanicae. Nec tamen defuerunt in variis terris boni scriptores Latini,*** -{iis exceptis qui, sicut Benedictus de Nursia (ca. 480 - ca. 547) scribere solebant rudiore quodam sermone ab integra ac pura Latinitate aliquantum aberranti}.

Inter alios multos, auctores qui Medio illo Ævo latine scribebant hi sunt:

(N.B. Aditus ad opera auctorum hac in paragrapho et aliis huius opusculi praebentur in locupletissima optimeque instructa pagina cui index Documenta Catholica Omnia*)*

Auctor	vitam introiit - amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
Cassiodorus	(ca. 485 - ca. 580)	opera	170
Venantius Fortunatus	(ca. 530 - ca. 600)	opera , carmina	175

Isidorus Hispalensis	(ca. 560 - 636)	opera	180
Beda Venerabilis	(674 - 735)	opera	185
Paulus Diaconus	(ca. 720 -799)	1, 2, 3, 4, 5	190
Alcuinus	(ca. 730 -804)	opera	195
Rhabanus Maurus Magnentius	(c. 780 –856)	opera	196
Valahfridus Strabo	(ca. 808 -849)	opera	200
Iohannes Scotus Eriugena	(ca. 810 - ca. 877)	opera	205
Hucbaldus Sancti Amandi seu Elnonensis	(ca. 840 - ca. 930)	opera	210
NAVIGATIO SANCTI BRENDANI (ca. 900)			
Hrotsvitha Gandeshemensis	(ca. 935 - post 973)	opera	215
CARMINA CANTABRIGIENSIA (ca. 1050)			
Anselmus Cantuariensis	(1033 - 1109)	opera	220
REGIMEN SANITATIS SALERNITANVM (ca. 1050)			221
ARCHIVVM LATINITATIS MEDII ÆVI			
...			



ad culmen autem hae litterae mediaevales saec. XII venerunt, quae propter imitationem Ovidii etiam aetas Ovidiana vocatur. Tunc vero floruit, inter alios, Archipoeta.

Auctor	vitam introiit - amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
LATINA QVAE, MEDIVM PER AEVVM, IN TRIVIIS NEC NON MONASTERIIS VVLGABANTVR CARMINA			
Archipoeta	(ca. 1130 - post 1167)	*carmina*	230
CARMINA GOLIARDORVM (saec. XII/XIII)			
Petrus Abaelardus	(1079–1142)	opera	235
Bernardus Claraevallensis	(1090–1153)	opera	236
Heloisa	(ca. 1100 - 1163)	opera	240
Bernardus Silvestris	(ca. 1100 - 1165)	opera	245
Franciscus Assisiensis	(1182 -1226)	*Canticum fratris solis*	246
Vincentius Bellovacensis	(ca. 1190-1264)	opera	247
Hildegardis Bingensis	(1098 - 1179)	opera	250
Alanus ab Insulis	(ca. 1120 - 1202)	opera *De planctu Naturae*	255
Bernardus Cluniacensis	(floruit ca. 1150)	*De contemptu mundi*	260
Saxo Grammaticus	(ca. 1150 - ca. 1220)	opera	265
CARMINA BVRANA (ca. 1230)			
Baldo	s. XIII (?)	*Novus Aesopus*	267
...			

Inde ab anno fere 1200 Latinae litterae {sc. elegantiores} ***sensim declinant. In scholis et universitatibus tunc regnare coepit*** {sermonis Latini genus quoddam technicum, ut ita dicamus, minus forsan elegans, quod *scholasticum* appellant, cuius notissimi sunt auctores}:

Auctor	vitam introiit - amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
Robertus Grosseteste	(ca. 1170 - 1253)	*opera*	275
Albertus Magnus	(ca. 1195 - 1280)	*opera*	280
Thomas Aquinas	(1224 - 1274)	*opera*	285
Rogerus Bacon	(1214 - 1294)	*1, 2, 3…*	290
Iacobus a Voragine	(1230 - 1298)	*Legenda aurea*	291
Raymundus Lullus	(1232 – 1315 aut 1316)	*opera*	295

Marsilius Patavinus	(ca. 1270/80 - 1343)	Defensor Pacis	296
Gulielmus Occamus	(ca. 1288 - ca. 1349)	opera	300
Nicolaus de Autrecourt	(ca. 1295/98 – 1369)	Exigit ordo / Epistolae	301
Nicolaus Oresmius	(ca. 1320 - 1382)	opera	302
...			

(N.B. Quae litterā cursivā eādemque crassiōre, hāc in paragrapho, scripta sunt suprā, excerpenda curavi e pagina 15ª opusculi a professore **Valahdrido Stroh** scripti, cui index *De historia litterarum Latinarum*, quo quidem opusculo tanquam adminiculo vel indice uti possunt auditores scholarum quas egregius ille Latinitatis praeceptor habuit *de historia litterarum Latinarum omnis aevi*. Sententias vero additis quibusdam verbis amplificandas ipse curavi inter haecce signa interpunctionis quo facilius contextui accommodarentur: {...}).

Itaque sermone quodam Latino utebantur docti homines, qui medio** (quod vocatur) **aevo floruerunt, cuius principia et fontes** (ut ita dicamus) **in scriptis Christianorum sacris plerumque inveniebantur.
(**Terentius Tunberg**, *Quaenam Erasmus ille Roterodamus de litterarum Latinarum recentissimarum patrimonio senserit. De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes, quas edidit Theodericus Sacré. Acta conventiculorum Academiae Latinitati Fovendae,* p. 29)

Hi autem duo, qui sequuntur, auctores, praeprimis Franciscus Petrarca, novam litterarum Latinarum aetatem, quae ab humanitate nomen duxit, incohasse traduntur:

Auctor	vitam introiit - amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
Dantes Aligerius	(1265 - 1321)	1,2,3,4,5	310
Franciscus Petrarca	(1304 - 1374)	1,2,3,4… *Anthologia operum Latinorum*	Epistula ad discipulum 315

3. Artium litterarumque renascentium ætate:



*apud Thomam Morum, pictore **Holbenio** iuniore (1497-1543) quem imitatione expressit Rolando **Lockey*** (c. 1565–1616)

...eloquentia nova** (ut ita dicamus) **exeunte saeculo XIVº et ineunte saeculo XVº nata est. Etenim, eruditi artibus liberalibus dediti, qui quidem vestigiis Francisci Petrarcae quodammodo insistentes studia humanitatis bonasque litteras colerent,... sermonem suum ad dicendi normas apud Ciceronem et eius aequales conspicuas revocare sedulo studebant. (**Terentius Tunberg**, *De Erasmo eloquentiae praeceptore*. Humanistica Lovaniensia. Volume LXV - 2016: Journal of Neo-Latin Studies, pp. 179-209. id. *Quaenam Erasmus ille Roterodamus de litterarum Latinarum recentissimarum patrimonio senserit. De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes, quas edidit Theodericus Sacré. Acta conventiculorum Academiae Latinitati Fovendae,* p. 29)

Cfr. verba Philippi Melanchthonis:


Quia vero tota nobis Latina lingua nunc non a populo sed ex libris discenda est, certa aetas auctorum eligenda est, cuius imitemur consuetudinem, ut certum sermonis genus quod semper intelligi possit, quia habet exempla nota et probata, nobis comparemus. Cum autem optima et maxime perspicua sit oratio, qua Ciceronis aetas usa est, discemus linguam ab eius aetatis scriptoribus, aut qui non longe ante Ciceronem, aut postea exstiterunt...

Cum enim hoc tempore tota nobis Latina lingua ex libris discenda sit, facile iudicari potest in hac parte necessariam esse imitationem, ut certum sermonis genus, quod ubique et omnibus aetatibus intelligi possit, nobis comparemus. (...) Constat autem Ciceronis aetate eloquentiam Romanam perfectam fuisse. Proinde totum illud saeculum imitandum nobis proponamus. (...) Ab his igitur auctoribus lingua nobis discenda est (...) Neque tantum singula verba e saeculo illo mutuemur, sed phrasin, hoc est iuncta verba...

Consuetudo igitur Romana in verbis iungendis imitanda est (...) Inusitatus enim verborum concursus non solum confragosam et obscuram orationem, sed prorsus novam linguam parit. (...) Neque ego ab aliis bonis auctoribus hunc imitatorem arcendum puto (nam ab his quoque iuvabitur). [...***probe intellexit*** – inquit Terentius Tunberg, optimus litterarum recentiorum pervestigator- ***Melanchthon homines etiam eloquentiae Ciceronianae studiosos ad verba aliorum auctorum –vel eorum qui post Ciceronem floruerunt- aliquando confugere debere.***]

Cfr. etiam verba Ioannis Sturmii: *Primus labor Ciceroni tribuatur, et quod huic deest, id conquire aliunde (...) Quod vero deest, id ab aliis non accipere (...) dementia est.*

(**Terentius Tunberg**, *De Erasmo eloquentiae praeceptore*. Humanistica Lovaniensia. Volume LXV - 2016: Journal of Neo-Latin Studies, Appendix II, pp. 202-203)



Erasmus delineatus a Christiano Ludovico van ***Kesteren*** *(1832-1897)*

Auctor	vitam introiit – amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
Iohannes Boccacius	(1313 - 1475)	1,2,3,4…	320
Colucius Salutati	(1331 - 1406)	1,2,3…	325
Poggius Bracciolinus	(1380-1459)	*Facetiae*	330
Thomas a Kempis	(1380-1471)	*De imitatione Christi*	*In omnibus requiem quaesivi…* 331
Bartholomaeus Facius	(1400 - 1457)	1,2,3…	335
Leo Baptista Alberti	(1404 - 1472)	*Momus* *opera*	340
Laurentius Valla	(ca. 1405 - 1457)	*opera* *Elegantiarum linguae Latinae libri sex*	345
Christophorus Landinus	(1424 - 1498)	*Libri quattuor*	350
Ioannes Iovianus Pontanus	(1426 - 1503)	*opera*	355
Baptista Guarinus	(1434–1513)	1,2,3…	360
Marcus Antonius Coccius Sabellicus	(1436–1506)	*opera*	365
Rudolphus Agricola Phrisius	(1443 - 1485)	*In laudem Philosophiae*, 2, 3, 4…	370
Aldus Pius Manutius	(1449 - 1515)	*Grammaticarum institutionum libri IV* *Horatiana prosodia*	375
Philippus Beroaldus	(1453 - 1505)	1,2…	380
Hermolaus Barbarus	(1454–1494)	1,2…	385
Angelus Politianus	(1454–1494)	1,2,3,4,5…	390
Iohannes Reuchlin	(1455-1522)	Opera	391
Iacobus sive Actius Sincerus Sannazarius	(1455–1530)	*Opera latina*	395
Petrus Martyr ab Angleria	(1457–1526)	*De orbe novo decades*	396
Conradus Celtis	(1459 - 1508)	1,2…	400
Hadrianus Cardinalis	(1461 - 1521)	1…	405
Picus Mirandulensis	(1463 - 1494)	*Oratio de hominis dignitate* *Opera omnia: 1,2*	Excerpa e carmine eius 410
Cassandra Fidelis	(1465-1558)	Epistolae et orationes	Excerpta aliquot 411
Villelmus Budaeus	(1467 - 1540)	…	415
Desiderius Erasmus	(1469 - 1536)	*Opera* *Tunbergii acroasis de Erasmi operibus praelegendis in scholis* *Epistulae*	Excerpta aliquot 420
Petrus Bembus	(1470-1547)	1,2,3…	425
Nicolaus Beraldus	(1473-1550)	Dialogus…	430
Thomas Morus	(1477-1535)	*Opera omnia Latina* *De optimo rei publicae statu* *Rutgerii Niehl acroasis de Thomae Mori Utopia.* *Epigrammata*	excerpta aliquot 435
Iacobus Sadoletus	(1477-1535)	*Epistulae*	440
Lazarus Bonamicus	(1477-1535)	*Orationes*, *Carmina*	445
Caelius Calcagninus	(1479-1541)	Opera aliquot	Ad nepotem de suavi fele domestica 446
Maturinus Corderius	(1479-1564)	*Colloquia*, *Principia Latine loquendi scribendique*	450
Hieronymus Fracastorius	(1483-1533)	*opera omnia*, *Syphilis*	451
Martinus Lutherus	(1483-1546)	*Opera Latina*	455 *praefatio in opera latina*
Iulius Caesar Scaliger	(1484-1558)	*Epistulae et orationes*,	460

		Poemata omnia	
Martinus Dorpius	(1485-1525)	*Orationes*	465
Hadrianus Barlandus	(1486–1538)	*Dialogi*, *Locorum veterum ac recentium libri tres*, *Historica*…	470
Christophorus Longolius	(1488-1522)	*Epistolae*, *Oratio*…	475
Helius Eobanus Hessus	(1488-1540)	1,2,3,4…	480
Romulus Amaseus	(1489-1552)	*orationes*	485
Germanus Brixius	(1490-1538)	1,2 …	490
Olaus Magnus	(1490-1557)	*Danielis Petterson oratio de Olai Magni vita et scriptis*, *Historiae de gentibus septentrionalibus*	491
Bartolomaeus Riccius	(1490-1569)	1,2…	495
Ioannes Genesius Sepulveda	(ca 1490-1573)	opera…	496
Theophilus Folengus	(1491-1544)	1,2…	500
Johannes Ludovicus Vives	(1492-1540)	1,2,3,4,5,6,7	505
Petrus Mosellanus	(1493-1524)	*Paedologia*, Tabulae de schematibus et tropis / *Epistulae*…	510
Philippus Melanchton	(1497-1560)	1, 2, 3, 4 …	515
Garcilasus de la Vega	(c. 1498-1536)	Carmina latina	Carmen de Cupidine [520]
COLLOQVIA SCHOLASTICA			
M. A. Flaminius	(1498-1550)	opera	carmen in bonam valetudinem [522]
Marius Nizolius	(1498-1576)	*Lexicon Ciceronianum* / In Ciceronem observationes / *De veris principiis*…	525
Ioachimus Fortius	(1499-1531)	Opera aliquot De ratione studii	530
Epistulae obscurorum virorum			
Coelius Secundus Curio	(1503-1569)	opera	540
Martinus Duncanus	(1505-1590)	*Praetextata latine loquendi ratio*	545
Georgius Buchananus	(1506-1582)	opera omnia, *Poemata in tres partes digesta*	*Ad Neaeram* [550]
Stephanus Doletus	(1509-1546)	*Dialogus de imitatione Ciceroniana* / *Epitome commentariorum* / *commentariorum linguae latinae tomus 1, 2* / *De re navali* / *carminum libri quattuor*	555
Ioannes Calvinus	(1509-1564)	*Opera quae supersunt omnia*	560
Nikolaus Wynmann	(ca 1510-1550)	*Colymbetes*	561
Ianus Secundus	(1511-1536)	*Opera omnia 1, 2* …	562
Franciscus Floridus Sabinus	(1511-1547)	*Pro M.Accio Plauto*…	565
Hortensius Landus	(1512?-1553?)	*Cicero relegatus & Cicero revocatus* / *Forcianae quaestiones*	570
Hubertus Folieta	(1518-1581)	*Opera subsiciva*	575
Iohannes Latinus	(1518-1596)	Austrias	*Aethiopas nigrosve homines tam esse homines quam Europaeos albos* [580]
Ioannes Calvete de Estrella	(1520-1593)	*De rebus indicis* / *De Aphrodisio expugnato*…	585
Iohannes Verzosa	(1523-1574)	*Epistolae* / Charina sive Amores …	590
Sanctius Brocensis	(1523-1601)	Opera poetica / Minerva / opera philologica …	595
Laurentius Palmyrenus	(1524-1579)	1,2,3,4,5…	*Oratio*[600] *habita Valentiae anno 1561°*
Carolus Sigonius	(1524-1584)	*orationes*	610
Antonius Schorus	(1525-1552)	*Phrases linguae Latinae* / *Thesaurus verborum*… / *De ratione docendae discendaeque linguae Latinae*	615
Olympia Fulvia Morata	(1526-1555)	Orationes, epistolae, carmina / *opera omnia*	620
Gasparus Stiblinus	(1526-1563)	Coropaedia / Commentariolus de eudaemonensium republica	625
Marcus Antonius Muretus	(1526-1585)	*Orationes, epistolae et poemata*	630
Hermannus Schottenius Hessus	(fl. 1527)	*Confabulationes tironum litterariorum*	635
Iohannes Posselius	(1528-1591)	Orationes / Apophthegmata	640
PVGNA PORCORVM (1530)			
Ioannes Petrus Maffeus	(1533–1603)	*Historiarum Indicarum libri*	649
Jacobus Pontanus	(1542-1626)	***Progymnasmata Latinitatis*** *De Iacobo Pontano oratio Terentii Tunbergii*	650
Justus Lipsius	(1547–1606)	**Opera**	carmen in eius epitaphio [655]
Iordanus Brunus	(1548-1600)	Opera Latine conscripta: 1,2,3,	670
Isaacus Casaubonus	(1559-1614)	*Epistolae*	675
Franciscus Baconus de Verulamio	(1561-1626)	*Nova Atlantis*	680
Ioannes Audoenus	(1564-1622)	***Epigrammata***	Aliquot epigrammata [685]

Galilaeus Galilaeus	(1564-1642)	*Discursus et demonstrationes mathematicae circa duas novas scientias*. *Systema cosmicum in quo dialogis IV de duobus maximis mundi systematibus disseritur* (*Latine reddidit Matthias Bernegger*) *De motu*. *Sidereus Nuncius*.	Locus excerptus e *Sidereo Nuncio* [686]
Thomas Campanella	(1568-1639)	*Civitas Solis*	[690]
Maphaeus Barberini (Urbanus VIII)	(1568-1639)	opera Poemata	Carmina iuvenilia aliquot [691]
Gaspar Murtola	(1570-1624)	*Nutriciarum libri*	Nutricis carmina blandula [692]
Iohannes Kepler	(1571-1630)	*Somnium*	[695]
Franciscus Guyet	(1575-1655)	*Gaeomemphionis Cantaliensis Satyricon*	[700]
Gaspar Scioppius	(1576-1630)	1,2,3,4… *Mercurius quadrilinguis*	[705]
Ianus Nicius Erithraeus	(1577-1647)	*Eudemia*	Apologus de musculo, fele et gallo [706]
Gerardus Vossius	(1577-1649)	1,2,3,4,5,6…	[710]
Ianus Caecilius Frey	(1580 - 1631)	1,2,3…	[715]
Ioannes Barclaius	(1582-1621)	1,2,3 Euphormionis Satyricon	[720]
…			

Ceterum, ut neminem litteris Latinis vel leviter eruditum fugit, elegantiores iuxta politioresve litteras, permulta quoque, sicut prioribus saeculis, opera palmaria, etiam saeculis XVII° et XVIII° vel postea, Latine scribebantur ad philosophiam, theologiam, mathematicam, quaestiones naturales, alias denique disciplinas *scientificas* artesque spectantia. Sufficiant igitur, gustum ut habeas, haec pauca nomina exempli gratia:

Antiquis temporibus eminuerunt: **Marcus Vitruvius Pollio** (80 a.C.-15 p.C.), **Plinius Vetus** (23-79) appellatus qui supra laudatus est –*etenim, in prima huius opusculi paragrapho*-, **Pomponius Mela** (obiit c. 45 p.C.)…

Medio, quod appellant, Aevo, inter alios, viguerunt ei qui supra – *in tertia enim litterarum Medio Aevo conditarum paragrapho* - laudati sunt: **Scotus Eriugena** (815 - 877), **Robertus Grosseteste** (1170-1253), **Albertus Magnus** (ca. 1195 - 1280), **Rogerus Bacon** (1214 - 1294), **Thomas Aquinas** (1224 - 1274), **Raymundus Lullus** (1232 – c. 1316), **Duns Scotus** (1266 - 1308), **Gulielmus Occamus** (ca. 1288 - ca. 1349)…



Galilaeus perspicilli usum docens, pictore Iosepho ***Bertini*** (1825-1898).

Nicolaus Cusanus (1401-1464), **Leo Baptista Alberti** (1404-1472), **Nicolaus Copernicus** (1473-1543), **Georgius Agricola** (1494-1555), **Andreas Vesalius** (1514-1564), **Iordanus Brunus** –aditus ad opera eius latine scripta- (1548-1600), **Tycho Brahe** (1546-1601), **Franciscus Bacon** (1561-1626), **Galilaeus Galilaeus** (1564-1642), **Iohannes Keplerus** (1571-1630), **Thomas Hobbes** (1588-1679), **Renatus Cartesius** (1596-1650), **Christianus Hugenius** [Christian Huygens] (1629-1695), **Benedictus Spinoza** (1632-1677), Iohannes Locke (1632-1704), **Isaac Newton** (1642-1727), **Godefridus Guilielmus Leibnitius** (1646-1716), **Chistianus Wolfius** (1679-1754), **Leonardus Euler** (1707-1783), **Michaelis Lomonossow** (1711-1765), Immanuel Kant (1724-1804), **Aloisius Galvani** (1737-1798), **Alexander Volta** (1745-1827), G. Fridericus Hegel (1770-1831), **Carolus Gauss** (1777-1855), **Iohannes Christianus Ørsted** (1777-1851), Ludovicus Feuerbach (1804-1872), Carolus Marx (1818-1883), Ioannes Jaurès (1859-1914), …

Ceterum, usque ad recentiora tempora ephemerides atque commentarii Latine scripti editi sunt ad quaestiones naturales, mathematicas, medicas atque iuris spectantes, ut hi ***Commentarii de rebus in scientia naturali et medicina gestis***, vel etiam annales academiarum:

Fuerunt denique nonnulli philosophiae scientiarumve periti homines qui, etsi minus noti, de praeclarorum philosophorum vita, operibus doctrinave latine satis **recenter scripserunt** vel etiam **hisce temporibus** scribere pergunt.

Hoc tamen opusculo imprimis agitur de poesi vel de scriptis elegantiore oratione numeris soluta prolatis.

4. Nec tamen omnino excoli desierunt Latinae litterae **post artium litterarumque renatarum aevum**, primum, saeculis XVII° et XVIII° -qua quidem aetate, Latinitas regnare desiit in re publica litterarum-, **ac postea**, **ab saeculo XIX° vertente ad nostra novissima tempora**.

[N.B. Prior igitur recentiorum litterarum aetas ad "Renascentiam", quam appellant, pertinet. altera vero sive posterior recentiorum litterarum aetas ab vertente saeculo XVII° ad medians fere saeculum XIXum spectat, cum recentissima denique aetas litterarum Latinarum exoritur, quae ad nostros usque dies protenditur. cuius tamen recentissimae aetatis initia, -ut asseverat professor Theodericus Sacré-, liquidius animadvertuntur post Pascolum vita functum.]



Percy Moran, 1917

Usus linguae Latinae est tam in academiis et in re scholastica quam apud omnes eruditos inde a saec. XVIII° valde imminutus. De consuetudine videlicet Latine scribendi et loquendi in primis cogitamus, quae hac aetate paulo recentiore ad hominum doctorum partem multo minorem pedetemptim redacta est. Reges non solum regimina sua roborare, verum etiam cultum civilem suae quisque gentis fovere cupiebant, quorum, etiamsi unus et alter praeceptoribus bonarum litterarum patrocinabatur, plerique tamen linguas vernaculas propagare conabantur. –Quamquam ecclesiae reformatores, quales erant Philippus Melanchton et Iohannes Sturmius, non solum institutioni Latinae favebant, sed etiam vehementer propagabant, facere non possumus quin, ecclesia post medium saec. XVI in aliquot sectas divisa, rerum condicionem quandam ad usum linguae Latinae universalem retinendum minus aptam tandem exstitisse credamus-. Usus linguae Gallicae saec. XVII° una cum regni Gallici potentia diffusus est. Et aliae nationes suam quaeque linguam vernaculam excolere studebant. Nova quoque studia popularia, quae paulo postea creverunt –ne quid de maxima rerum eversione in Gallia exeunte saeculo XVIII° exorta dicamus- haudquaquam faciebant ad usum linguae Latinae retinendum. Linguae vernaculae, civibus cuiusque regionis plerumque faventibus, immo efflagitantibus, eodem tempore vel paulo ante in academiis et ad docendum et ad negotia transigenda usurpari coeptae sunt.(...) Quo plures homines legere et scribere linguis vernaculis poterant, eo magis exigebatur ab illis, qui institutioni iuvenum et academiis praeerant, ut omnia, quae ad scientiam et artes tradendas pertinerent, sermone vernaculo fierent. (...) Exceptis enim iuvenibus, qui cursum honorum in ecclesia Romana secuturi erant –at ecclesia Romana non iam ad omnes gentes nationesve Europaeas pertinebat-, plerique humanitatis studiosi non iam linguam Latinam discebant, ut negotia sua ope sermonis Latini et scribentes et loquentes in curiis, in academiis, in ecclesia tractarent, sed in primis ut opera scriptorum veterum legerent et intellegerent.

Quamvis usus linguae Latinae post saec. XVII valde decreverit, ***oportet tamen intellegamus consuetudinem Latine sermocinandi nullo saeculo, nullo tempore usque ad aetatem nostram esse umquam prorsus exstinctam****. Nulla aetate non erant quidam eruditi, qui et opuscula Latina scribebant et Latine pro re nata colloqui solebant.* (**Terentius Tunberg**, *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt*. pp. 91-92).

Etenim fuit saeculum illud duodevicesimum, haud secus ac duo quae antecesserant, litterarum elegantiorum ac Latinarum feracissimum*; neque mihi illius aevi litteras legenti Latinitas in mediocritatem nescio quam pessimumve in statum delapsa esse videtur, neque valde differre ab aetate anteriore. Immo, si quae commutationes magnae in orbe neolatino sunt factae aliquando, ipse ego medium fere saeculum undevicesimum digito monstrem, quo rerum conversiones factas esse credam. Ea enim tempestate, cum tam imitatio quam ipsa eloquentia ex imitatione comparanda male audiebat, patrimonium illud neolatinum e gymnasiis atque Academiis paulatim expulsum maiori hominum parti sordere videbatur; idcirco thesauri illi Latinitatis recentioris in neglectum atque in oblivionem venerunt; quae fuit tanta, ut saeculo vicesimo quasi ex nihilo fuerint eruenda monumenta illa priora et ut obscuris lumen fuerit dandum prope novum.* (...)

Nulla est (...) *causa* (...) *cur saeculi duodevicesimi Latinitatem discrepare a superioribus saeculis opinemini. Immo, si Latinae eius annorum centuriae litterae verbo signandae mihi essent, nomen notamve eis 'constantiae' vel 'perseverantiae' inurerem; quam tamen ita intellego, non ut recoctam tum cramben semel atque iterum apposuerint auctores, sed ut, id quod bonae imitationis est argumentum, nova fere semper et sua traditis vel tralaticiis argumentis adiecerint.*

(**Theodericus Sacré**, *De litteris saeculi XVIII Latinis prolusio*).

*At, pro dolor, opera Latia quae ab humanismo evanido ad Pascolum vita functum in lucem sunt edita (****anno enim 1912° posteriora recentissimae annumerarim Latinitati****) etiam a viris rei neolatinae studiosis plerumque spernuntur quod minoris sint in re publica litteraria momenti. Qui vero ita iudicant patrimonium quoddam cognitu dignum praetermittunt.* (**Theodericus Sacré**, *De poetis quibusdam Latinis qui novissimo hoc sesquisaeculo floruerunt*.)


Etenim, *superiore saeculo, dum* ***romantismus*** *gliscit in litteris, latinitatis cultores deploranda quadam et falsa opinione in tam angustam judicandi rationem deducti sunt ut totam fere latinitatem, quae post Tacitum per sesquimillennium ubicumque terrarum floruerat, superba mente damnaverint, barbaram eam aut mortuam dicentes atque indignam quae legeretur. Priscae Romanae ecclesiae patres, Mediae Aetatis scriptores, Renascentium litterarum oratores et poetae omnes omnino viles ab iis pendebantur. Quo supercilio Musae brevissimo tempore fugatae sunt vixque unum aut alterum invenerunt virum singularem, apud quem laterent. Tum opera scriptorum recentiorum imprimi desierunt, tum etiam numerus latine scribentium intra paucos annos imminutus est ut ante numquam, nisi merovingica fortasse tempestate.* (...)

Atque eo ipso tempore, quo latinitati omnibus suis viribus opus est ut superesse saltem possit, plerique ejus cultores maximam scriptorum et operum latinorum partem damnaverunt, ejecerunt, enecuerunt. Et quod aeque grave est: bene meriti illi viri, qui Musas languentes refocillare voluerunt ideoque certamina indixerunt,

eadem judicii artatione laboraverunt et ad hunc diem poetas latinos ad unam antiquorum imitationem constringunt. At quamdiu erunt, iterum rogo, qui hisce condicionibus certare volent aut valebunt?(...)

At dicite mihi, quaeso, ubinam terrarum litteras florentes invenire possitis, quae in aeternum ad decessorum quorundam imitationem determinatae sint, idque non tantum ad formas et genera quod attinet, verum ad ipsa quoque argumenta, quae tractentur? Hoc autem est occidere Musas: ejusmodi perpetuis compedibus eas vincire, etiamsi sunt aureae. (...) Quid ergo faciendum? Demissisne animis sedebimus vel Camenae exsequias ibimus? Absit! Latine scribere pulchrum est et nobile negotium. Nostris etiam diebus Musa scriptorum animos allicere potest. Scriptori quoque vernaculo usui et delectationi esse potest interdum et latine scribere. (...) At scriptoribus necessaria concedatur libertas necesse est ut scribant quomodo ipsi velint et de quibus malint argumentis. Caveamus porro ne latine scribentes homines esse videantur revolutae aetatis et nunquam rediturae. Latinitas floruit dum latini scriptores re vera sui ipsorum temporis erant praecones aut castigatores. (...) Liberi ergo sunto, iterum iterumque dico, scriptores latini cum in argumentis tractandis, tum in dicendi generibus eligendis. (...) Nemo infitias ibit fieri jam non posse ut latina lingua pristinum locum obtineat apud oratores et poetas, qui nunc sunt et postea erunt. At fieri utique potest ut illa lingua parvum electumque hominum cultorum numerum delectet et alliciat ad stilum etiam latine tentandum.

(**Iosephus IJsewijn**, ***Cycneus Latinitatis cantus? De causis afflictae latinitatis oratio Roboreti apud italos habita postridie kal. nov. MCMLXXII***).



Parvum igitur ostendamus elenchum quorundam scriptorum qui hac altera recentiorum litterarum aetate necdum vero recentissima integro ac puro sermone Latino mirifica in lucem ediderunt opera:

Auctor	vitam introiit – amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
Hugo Grotius	(1583-1645)	Poemata, *De iure belli ac pacis* 1,2,3	[730]
Thomas Hobbesius	(1588-1679)	*Leviathan*	[735]
Matthias Sarbievius	(1595-1649)	*Carmina*	[736]
Sidronius Hosschius	(1596-1653)	1,2	*Vita mare est*
Petrus Firmianus	(1596-1661)	*Gyges Gallus*	[745]
Athanasius Kircher	(1602–1680)	***Mundus subterraneus***: 1,2 / *Arithmologia* / *Ars magna sciendi* / *Prodromus coptus sive aegyptiacus* …	[750]
Jacobus Balde	(1604–1668)	*Poemata de vanitate mundi* / *Carmina lyrica* / *Urania victrix* / *Silvarum libri* / *Opera poetica omnia*: 1,2,3,4,5,6,7…	Duo carmina [755]
Janus Bodecherus Banningius	(1606-1642)	- *Poemata* - *Satyricon*	[756]
Anna Maria van Shurman	(1607–1678)	1, 2	[760]
Iohannes Milton	(1608-1674)	*Carmina Latina* / scripta Latina …	[765]
Nicolaus von Avancini	(1611-1686)	*Poesis lyrica*	[766]
Antonius van Torre	(1615-1679)	*Dialogi familiares*	[770]
Renatus Rapinus	(1621 - 1687)	*Eclogae*: 1,2,3 *Hortorum libri IV*	[775]
Jacobus Moireau	(1622-1666)	*Pygmaeidos libri VIII*… Poemata	*Ostracopaegnion* [777]
Iohannes Sturmius	(1635-1703)	-*De imitatione oratoria* -*De periodis* -Mathesis iuvenilis: 1,2	[780]
Joannes Ludovicus Praschius	(1637-1690)	- *Psyche Cretica* - *De latinismis et barbarismis*	[785]
Iosephus Bernerius	(1637-1701)	*Poesis iocosa*	*Theodericus Sacré haecce* [1498] *de eo retulit auctore*
Ubertinus Carrara	(1642-1716)	*Columbus, carmen epicum*	[794]
Henricus Harderus	(1642- ?)	Carmina / ***Canum cum cattis certamen***	[795]
Thomas Ceva	(1648-1737)	*Iesus puer*	[796]

Franciscus Fénelon	(1651-1715)	Fabulae	800
Thomas Makin	(1665 - 1733)	*Descriptio Pennsylvaniae*	Versus aliquot 810
Ludovicus Holbergius	(1684 - 1754)	***Nicolai Klimii iter subterraneum***	Excerpta aliquot 815
Iohannes Iacobus Scheuchzer	(1672-1733)	*Physica Sacra*: 1,2,3,4	820
Melchior de Polignac	(1661 - 1741)	*Anti-Lucretius sive de Deo et natura libri novem*: 1, 2	830
Ioseph Addisonius	(1672 - 1719)	- *machinae gesticulantes* - *proelium inter pygmaeos et grues commissum* - aditus ad opera eius	835
Carolus Porée	(1675 - 1741)	*Oratio de libris qui vulgo dicuntur romanenses*	840 *Brutus*
Emmanuel Swedenborg	(1688 - 1772)	*Camena Borea*	845
NVGAE VENALES			
Horatius Burgundius Brixiensis	s. XVIII	*Carmen de volatu*	*Ex carmine de volatu* 850
Iohannes Matthias Gesnerus	(1691 - 1761)	***Novus linguae et eruditionis romanae thesaurus:*** *1,2,3,4.* ***Primae lineae isagoges in eruditionem universalem:*** *1,2.* *Epistolae* / *Opuscula minora*: 1,2,3,4,5,6,7,8…	855
Georgius Walchius	(1693-1775)	***Historia critica latinae linguae*** *ed.* ***prima*** , *altera*, *tertia*.	Locus excerptus 856
Iohannes Fridericus Noltenius	(1694-1754)	*Lexicon linguae Latinae antibarbarum*: **1,2**	860
Iohannes Iacobus Bruckerus	(1696 - 1770)	***Historia critica philosophiae*** *1,2,3,4,5,6.* ***Institutiones historiae philosophicae***	865
Bartholomaeus Boscovicius	(1699-1770)	*Carmina* …	*Desiderium patriae* 870
Gregorius Maiansius	(1699-1781)	*Tullius*	875
Iohannes Baptista Giraud	(1701-1776)	*Fabulae selectae Fontanii, 1, 2*	880
Carolus Lebeau	(1701-1778)	*Opera Latina*	885
Samuel Johnson	(1709-1784)	*Poemata Latina*	890 versus
Rogerius Boscovicius	(1711-1787)	*Elementorum universae matheseos 1,2,3* *Carmina* …	Versus excerpti e carmine cui index *De Solis ac Lunae defectibus* 895
Franciscus Desbillons	(1711-1789)	Fabulae	900
Benedictus Stayus	(1714-1801)	*Philosophiae recentioris versibus traditae libri X*	905
Christianus F. Gellert	(1715-1769)	*De poesi apologorum eorumque scriptoribus*	910
Thomas Gray	(1716-1771)	Opera Latina…	carmen Sapphicum 915
POEMATA DIDASCALICA SAECULI XVIII			
Raimundus Cunicius	(1719-1794)	*Anthologica* / ***Homeri Ilias latinis versibus expressa*** *Epigrammata*	Aliquot epigrammata 920
Gabriel Brotierius	(1723-1789)	Supplementa	925
Daniel Rolander	(1723-1793)	*Diarium Surinamicum*	930
David Ruhnkenius	(1723-1798)	*Oratio de doctore umbratico*	935
Alexander Thomassen	(1725/6 – 1798)	*Pithecologia*…	940
Didacus Abad	(1727 - 1779)	*De Deo Deoque homine, heroica* …*Selenopolitani dissertatio ludico-seria*	945
Carolus Franciscus Lhomond	(1727 - 1794)	- *Epitome historiae sacrae* - *De viris illustribus urbis Romae*	950
Franciscus Xaverius Alegre	(1729-1788)	*Opera latina*	955
Nicolaus Skrlec Lomnicki	(1729-1799)	*Dialogus*	960
Michael Denisius	(1729-1800)	*Carmina quaedam*	965
Christianus Heynius	(1729-1812)	- ***Opuscula academica collecta:*** *1,2,3,4* - *Deportatio in novam Cambriam*	970
Iohannes Baptista Premlechner	(1731 - 1789)	*Carmina*	975
Raphael Landivar	(1731 - 1793)	***Rusticatio Mexicana***	980
Gerardus David Jordensius	(1734-1803)	- *Gellia, eclogae, epigrammata* - *Josephus, carmine heroico celebratus*	985
Bernardus Zamagna	(1735-1820)	*Navis aeria* – ***Homeri Odyssea Latinis versibus expressa***	990
Christianus Adolphus Klotzius	(1738-1771)	*Somnium in quo […] Genius saeculi vapulat* **Acta litteraria 1, 2, 3, 4, 5, 6**	995
Hieronymus Boschius	(1740-1801)	***Carmen de aequalitate hominum***	*Versus excerpti e carmine c.i.* ***De aequalitate hominum*** 1000
Christophorus Fridericus Sangerhausen	(1740-1802)	*Minos sive de rebus Friderici II apud inferos gestis*	1005
Andreas Dugonicius	(1740-1818)	*Argonauticorum sive de vellere aureo libri XXIV*	1010
Carolus Gustavus Schultz ab Ascherade	(1743-1798)	*Res suo aevo gestae*	1015
Iohannes Fridericus Herelius	(1745-1800)	*Friderici Herelii Satirae tres*	1020

Alexander Volta	(1745-1826)	Carmen didascalicum	Versus excerpti ¡Error! No se encuentra el origen de la referencia.
Gadso Coopmans	(1746-1810)	*Varis, sive de variolis carmen*	1030
Christian Wilhelm Kindleben	(1748 – 1785)	***Gaudeamus igitur***	1035
Faustinus Gagliuffus	(1765 - 1834)	***Specimen de fortuna Latinitatis*** , accedunt poemata varia, meditata et extemporalia.	Locus excerptus ex opere inscripto *Specimen de fortuna Latinitatis* [1036]
Abbas Marchena	(1768 – 1821)	*Fragmentum Petronii*	1040
CARMINA RECENTIORVM POETARVM SOCIETATIS IESV (1772)			
Alexander Manzoni	(1785 – 1873)		***Volucres*** [1042]
Iosephus Pascalius Marinelli	(1793 - 1875)	*Dantis Alighieri* ***Divina comoedia*** *Latine versa*	1045
Orationes Latinae XLVII. E doctissimorum eorumque eloquentissimorum virorum saeculo XVI. XVII. XVIII. XIX. florentium operibus selectae et juventuti literarum studiosae propositae. (1822)			
Paulus Tarenghius	fl. exeunte saec. XVIII ac ineunte XIX (?)	*De pace elegiae*	1055

Nec defuerunt ab exeunte saeculo undevicesimo ac praesertim ab ineunte vicesimo saeculo usque ad hancce novissimam aetatem eruditi homines tam alte Latinitate imbuti ut elegantes praestantesque evaserint solutae orationis scriptores vel etiam egregii poetae quos quidem divino numine afflatos facile dixeris.



pictore ***Raphaele*** *(1483-1520)*

Nam et litteras Latinas post tot saecula usque adhuc florere quingenti illi poetae ostendunt, qui post annum MCM carmina ediderunt, iique quam vero quamque intimo aestu poetico ad carmina Latine pangenda cogantur *saepius e familiaritate, qua cum nonnullis eorum coniuncti sumus, clare percepimus.* (**Iosephi Linaeque IJsewijn-Jacobs** Commentariolus de litteris latinis recentioribus ad Iosephum Eberle doctorem honoris causa et poetam elegantissimum).

Etsi eloquentiam Latinam magnam partem in scriptis probatis imitandis positam esse non negamus, non idcirco sequitur ut homo Latine loquens orationem ad ingenium suum et ad indolem propriam accommodare non possit.
(**Terentius Tunberg**, *De Erasmo eloquentiae praeceptore*. Humanistica Lovaniensia. Volume LXV - 2016: Journal of Neo-Latin Studies, pp. 199).

Fit in vatem ut hic illic incidam, novas qui vias sit inire conatus atque ante id tempus ignotas; alii enim inventione inter ceteros eminuisse mihi videntur; alii iuxta exempla Pascoliana animos hominum paulo audacius explorare sunt aggressi eosque, tritis relictis orbitis, modo novo atque suo depingere sunt conati. (**Theodericus Sacré**, *De litteris Latinis quae ad prius bellum gentium referuntur prolusio*, p. 14).


Iohannes Pascolus

Ratio litteraria, qui 'neohumanismus' iam multos per annos parum accurato vocabulo dicitur, reapse 'romantismus classicus' appellandus esse videtur. 'Classicum' ea de causa dicimus, quod omnia fere carmina ad normas versificandi antiquas composita sunt, 'romantismum' autem quia poetae isdem illis sensibus

et argumentis ad canendum commoventur, quibus et scriptores vernaculi. (**Iosephi Linaeque IJsewijn-Jacobs** Commentariolus de litteris latinis recentioribus ad Iosephum Eberle doctorem honoris causa et poetam elegantissimum)

Quam tamen rationem litterariam supra expositam non omnes poetae huius novissimae litterarum aetatis secuti sunt, sed alii alia temptaverunt ac luserunt: alii quidem metris illis antiquis, alii autem versibus rhytmicis, alii denique versibus omni numero rhythmove solutis.

Quorum praeterea scriptorum, etsi non omnes, tamen nonnullos deinceps consideremus. Nec vero me fugit, ut in transitu dicam, auctores quosdam magni vel maximi momenti et hoc in elencho et in superiorum aetatum indicibus, ob ignorantiam meam adumbratamve hancce collectionem, pro dolor, omissos esse, quamobrem oro mihi, qua es humanitate ac probitate, veniam des, benigne lector. Adde quod indicem huncce recentissimorum auctorum imperfectum relinquere cogor, quem tamen temporis decursu, pro viribus sum aucturus. Quae adhuc auctorum nomina exscribenda curavi, hac praesertim mente id faciendum studui, ut **quosdam egregios versificatores vel elegantioris prosae scriptores praeprimis** notarem.

Ceterum, scias velim, optimos litterarum Latinarum cultores, quos inter numerantur Iosephus Ijsewijn atque Theodericus Sacré, ex illius disciplina profectus, ***conspectum poetarum Latinorum*** aliorumve elegantiorum scriptorum, qui recentissima aetate floruerunt, exquisitissimis pervestigationibus factis, iam pridem nobis praebuisse, novis praeterea, temporis decursu, additis supplementis.



Ex libris certaminis Hoefftiani

Novissime autem, Milena Minkova, de lingua litterisque Latinis optime merita femina, scribendum curavit ***Florilegium recentioris Latinitatis*** ut **libro** continerentur ea recentiorum litterarum Latinarum studia in quae, una cum studiis ceterarum aetatum, diligenter incumbunt in Kentukiano ***Instituto Studiis Latinis Provehendis***.

Utut est, en elenchus parvus auctorum recentissimorum, quo sat dilucide demonstratur usum linguae Latinae ad elegantiores etiam litteras excolendas usque ad nostra novissima tempora suscipi feliciter perrexisse:

Auctor	vitam introiit – amisit	aditus ad eius opera	loci eius excerpti
Iosephus Iacolettus (Giacoletti)	(1803 - 1865)	*Specimen carminum Latinorum*	*Versus excepti e carmine c.i.* ***De vehiculis vapore motis*** [1060]
Leo XIII	(1810 - 1903)	opera	[1065] *Rerum novarum*
Didacus Vitrioli	(1818 - 1898)	*Xiphias*, *De lebetis materie*…, *De Iunone Lacinia*, Epigrammata…	*Primi versus carminis c.i.* ***Xiphias*** [1070]
Carolus Baudelarius	(1821-1867)	*Franciscae meae laudes*	[1075]
Petrus Esseiva	(1823-1899)	*Urania*	*Versus* [1080] *aliquot carminis c.i.* ***Via Ferrata***
Carolus Henricus Ulrichs	(1825-1895)	- *Fori reconventionis origines et doctrina* - ***Alaudae***	*Paesti in templo Neptuni* [1085]
Franciscus Xaverius Reuss	(1842-1924)	*carmina*	[1090]
Michael Antonius Carus	(1843 - 1909)	Opera Latina	***Ad ventulum*** [1095]
Hermannus Röhl	(1851-1923)	*Epistula novi mariti*	[1100]
Iohannes Hartmannus	(1851-1924)	1,2,3,4,5,6…	[1105]
Iohannes Pascolus	(1855-1912)	***Carmina latina***	***Thallusa*** [1110] Alia carmina
Iosephus Bradney	(1859-1933)	***In Walterum, filium meum natu minimum, in proelio occisum 24to Martii a° 1918.***	Versus aliquot [1111]
Antonius Faverzani	(1861-1922)	**opera** - ***Aviae Lychnus***	1112
Laurentius Roccius	(1864-1950)	…	Duo carmina [1115]
Iohannes Bergman	(1864-1951)	*Carmina latina*	[1120]

Alfonsus Maria Casoli	(1867-1923)	***Ignorati luctus***	versus aliquot [1125]
Iosephus Fornari	(1869-1942)	opera	*Commentarii de primo bello universali inito* [1130]
Franciscus Sofia Alessio	(1873-1943)	Index operum	[1135]
Carolus Flesch sive Flescarolus	(1874-1945)	*Ferocia Latina*	[1140]
Vincentius Polydorus	(1876-1968)	*Prope sacellum Ioannis Pascoli*	***Gallus et Lycoris*** [1145]
Hermannus Weller	(1878-1956)	*Carmina Latina* Hermanni Weller carmina latina	**Y** [1150]
Hugo Henricus Paoli	(1884-1963)	- *Varius libellus* - *Fabellae pueriles* - *Ciceronis filius* - *Pinoculus Latinus* - Aenigmata - Carmina	***Ad Arrium Nurum*** [1155]
Hermannus Steinberger	(1885-1969)	- *Pereant frigora* - *Duo sepulcra romana*	Carmen ad cervisiam celebrandam [1160]
Antonius Bacci	(1885-1971)	- ***Lexicon eorum vocabulorum quae difficilius latine redduntur***. - Varia latinitatis scripta. - *Inscriptiones, orationes, epistulae*.	[1165]
Victorius Genovesius	(1887-1967)	De Victorii carminibus	[1170]
Nicolaus Mangeot	(1888-1971)	- **carmina** - Theodericus Sacré Nicolai Mangeot poematium c.i. ***Nox*** docto instruxit commentario.	[1175]
Hippolytus Galante	(1892- post 1960)	***Saniucta***	[1180]
Clemens Plassmann	(1894-1970)	***Carmina***	Carmina aliquot [1185]
Camillus Morelli	(1885-1916)	opera	E carmine c.i. ***Quinque sorores*** [1186]
Theodorus Ciresola	(1899-1978)	opera	[1190]
Iosephus Morabito	(1900-1997)	- Carmina aliquot	E carmine c.i. *Solitudo* [1195]
Albertus Chiari	(1900-1998)	…	Poematium [1196]
Entius Marmorale	(1901-1966)	opera	Manlius Catullo [1197]
Ferdinandus Maria Brignolius	(1901-1970)	opera	[1200]
Iosephus Eberle	(1901-1986)	Carmina aliquot	***Lutetia*** [1206]
Antoninus Immè	(1901-1988)	…	***Itinera fragrantis vitae*** [1211]
Antonius Smerdel	(1904-1970)	***Urna Parcarum*** (1961), ***Pontes lucentes*** (1962), ***Palmae solis Almae*** (1966), ***Flatus cupressorum*** (1967) …	Bina poematia [1216]
Traianus Lăzărescu	(1904-1980)	Carmina	[1220]
Arrius Nurus	(1907-1979)	- ***Nugulae*** - ***Pegasus Tolutarius*** - ***Pegasus Claudus***. - ***Vallum Berolinense***. …	Carmina aliquot [1226]
Iosephus Jiménez Delgado	(1909-1989)	- Symbolae in commentario Palaestra Latina - De orthographia latina …	[1230]
Iohannes Baptista Pigatus	(1910-1976)	- ***Epistula ad Murrium Reatinum*** - ***Nox Pompeiana*** …	E carmine c.i. *De milite redivivo* [1236]
Miecislaus Broscius	(1911-2000)	Carmina amatoria	[1236]
Iohannes Alexander Gaertner	(1912-1996)	Carmina aliquot	[1240]
Iosephus Maria Mir	(1913-2000)	- Symbolae in commentario c.i. *Palaestra Latina* - ***Viget Latinitas*** - Opera …	[1245]
Carolus Egger	(1914-2003)	- Opera - Lexicon recentis Latinitatis …	*Excerptum e libello cui index* ***Latine discere iuvat*** [1251]
Olyndus Pasqualetti	(1916-1996)	- opera - ianua pristina	[1255]
Franciscus Caprarius	(1916-2015)	- opera	[1260]
Herbertus Huxley	(1917-2010)	- Symbolae in commentario c.i. *Vox Latina* - ***Sic itur ad astra***	[1265]
Arthurus Guido Lee	(1918-2005)	- Poematia	[1270]
Clemens Desessard	(1920-2003)	- *Gai Licoppe symbola ad memoriam Clementis Desessard celebrandam*. - *Le latin sans peine* (*lingua latina sine molestia*).	[1271]
Hans H. Ørberg (Ioannes Montaurius)	(1920-2005)	- LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA - Oratio a Ioanne Montaurio Lugduni a. 1959 habita. - Colloquium percontativum cum Montaurio. - Ioannis Ørberg oratio Neapoli anno 1998 inter conventum c.i. DOCERE habita, cuius instriptio: ***De via Latine docendi per exempla***.	[1275]
Ianus Novàk	(1921-1984)	- index operum Iani Novák Germanice, cura et studio Katharinae Kagerer, elucubratus.	***Furens tympanotriba*** [1281]
Suitbertus Siedl	(1923-2006)	- cursus linguae Latinae vivae	[1281]
Iosephus Antonius (Caelestis) Eichenseer	(1924-2008)	- Symbolae in commentario c.i. *Vox Latina* - Symbolae in commentario c.i. *Palaestra Latina* - index operum.	*Excerpta de neologismis latinitatis condendis* [1286]
Iosephus Tusiani	(1924-)	- operum index - ***In nobis caelum***	***Somnium nivale*** [1291]
Arituneus Mizuno	(1928-)	- cf. eius scripta latina	[1295]
Genovefa Immé	(1929- 2012)	- Operum index / N.B. multo plura scripsit in commentariis q.i. *Memento*	Excerpta quaedam

(plura hīc)		*Audere Semper.*	1301
Caius Licoppe	(1931-)	index operum - *De pecuniae inventione.*	1305
Iosephus IJsewijn	(1932-1998)	*carmen in eius honorem*	1310
Ericus Palmén	(1932-2004)	- operum index - eius scripta	1311
Michael ab Albrecht	(1933-)	- *De lingua Latina in philologia Latina adhibenda*. - *Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferant*. Cfr. hanc optimam orationem. Cfr. et hanc alteram.- *De lingua Latina viva voce discenda*. - *De Georgii Aloisii Borges scriptis utopicis*. - Scripta Latina. – Carmina aliquot (p. 163-166) - De simia Heidelbergensi. …	**Carmina** et locus excerptus 1316
Mercedes González-Haba	(-2007)	*Tacitus cattus*	Ex fabula c.i. *Tacitus cattus* 1321
Thomas Pekkanen	(1934-)	- Scripta latina - ***De Finnis cornutis*** - ***Cetera iam fabulosa?***	1325
Fidelis Rädle	(1935-)	- index operum	1330
Valahfridus Stroh	(1939-)	- opera	1335
Victorius Ciarrochi	(?)	Chronicalia Scripta eius	1336
Anna Elisa Radke	(1940-)	- index operum	*Omnia vincit Amor* 1340
Andreas Fritsch	(1941-)	- eius scripta - ***De quibusdam prophetis qui Solonem in magnos errores induxerunt***. - ***De Solonis itineribus fabulosis et quibusdam sententiis eius***. - ***De bellis pro religionis libertate recuperanda susceptis***.	1345
Iohannes Carolus Rossi	(1944-)	1, 2, 3 … Oratio eius cui index: ***quid proprie sit architecti munus?***	***Gaddus*** 1350
Claudius Piga		- Scripta Claudii Pigae - oratio eius de ***entropia***.	1355
Orestes Carbonero		- opera - index carminum in commentariis periodicis	1360
Maurus Pisini		- index operum - Symbolae eius in commentario c.i. *Vox Latina*. - carmina quaedam arcana - ephemeris diurna simul atque nocturna	1365
Robertus Spataro		- index operum - Animadversiones in opus c.t. VTOPIA	1370
Curtius Smolak	(1944-)	- Symbolae eius in commentario c.i. *Vox Latina*. - *"Ardebo igneo amore Tui": De Coelestino Leuthnero O.S.B., Matris Dei amatore*.	1375
Horatius Antonius Bologna	(1945-)	- Index operum - ***De belli necessitate atque utilitate***. - Symbolae eius in commentario c.i. *Vox Latina*.	1380
Henricus Reinhardt	(1947-)	Cfr. eius scripta	1385
Florindus di Monaco	(1947-)	Carmina aliquot	1390
Alanus Divutius	(1948-)	Carmina aliquot	*Ad Glyceram hexametri* 1394
Terentius Tunberg	(1950-)	- index operum - ***De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi seculis XVI et XVII coluerunt***. - *Colloquia familiaria aetate litterarum renatarum scripta ne spernamus!* - *Cicero numquam mortuus est, sed aliter aliis saeculis vixit*. - *De Erasmo eloquentiae praeceptore*. - *Cum Desiderio Erasmo in scholis latinis loquamur!* …	1400
Milena Minkova		- *De Caesare in scholis Latinis provectioribus destinatis modo activo proponendo*. - *Florilegium recentioris Latinitatis*. - *Quam aperte 'sui' atque 'alieni' in litteris Latinis recentioribus discerni videantur*. - *De locis atque spatiis fabularum utopicarum cum eis quae in descriptionibus itinerum sive verorum sive phantasticorum exstant comparandis*. - Symbolae eius in commentariis q.i. *Vox Latina*.	1405
Sigrides Albert		- Symbolae eius in commentariis periodicis q.i. *Vox Latina*. - *De lingua Latina deque spiritualitate Benedictina fundamentis Europae*. - ***Cottidie Latine loquamur!*** …	1410
Francisca Deraedt		- index operum Franciscae Deraedt - Symbolae eius in commentariis q.i. *Vox Latina*.	1415
Caecilia Koch		*Disticha*	1420
Bradlius Walton	(1956-)	- Poesis Latina a Bradlio Waltonio scripta.	1425
Theodericus Sacré	(1957-)	- Index operum Theoderici Sacré. - ***De Desiderii Erasmi colloquiis***. - *De inedito atque ignoto carmine Sigismundi Chisii, (1649–1678)*. - ***De litteris Latinis quae ad prius bellum gentium referuntur prolusio***. - *De Titanicae navis interitu sive de poetis Latinis qui naufragium illud luctuosum cecinerunt*. - Symbolae eius in commentario c.i. *Vox Latina*.	1430
David Morgan	(1959-2013)	- *De Adami Schall Historica Narratione: Quo Modo Sinae Sint Latinae Factae*. - **Adumbratio lexici neolatini**. –Nunc vero temporis Patricius Oeneus Davidis Morgan opus lexicographicum perficiendum curat-. - **Hic** porro, audire possumus, spectatis imaginibus, particulam orationis *Qua mente Thomas Morus Utopiam suam adumbraverit* inscriptae, quam David Morgan anno 2007 habuit inter **conventum Neapolitanum *de humanitate nostra aetate restituenda***.	1435

		- Symbola eius in commentario c.i. *Vox Latina*. Has vero in commentariis q.i. *Melissa* commentationes edidit: ***Floret Latinitas in America Foederata***, et ***De Seminario Brasiliensi*** …	
VIVA CAMENA (1961) **(LATINA HVIVS ÆTATIS CARMINA)**			
Michael Pratensis Oirschotanus	(1964-)	Carmina varia selecta	1445
Volfgangus Jenniges	(1964-)	- Eius scripta latina - Index operum	Excerpta aliquot 1450
Aloisius Miraglia	(1965-)	- **Commentationes** eius in ephemeride c.i. Avvenire - index operum - ***De optima latine docendi ratione*** cfr. ***hanc*** *orationem qua rationem viamque Ørbergianam docet ostenditque auditoribus utilia adminicula didascalica.* - Oratio eius de fatis **Academiae Vivarii Novi**: 1,2,3,4,5,6,7,8, quae Tusculum lares transtulit suos, ut **hac recentiore acroasi rettulit**. - Oratio ***de lingua latina in re publica litteria***. Cfr. etiam hoc colloquium percontativum quo similia profert Aloisius. …	1455
David Money	(1966-)	*De criticis*…	1460
Helgus Nikitinski	(1967-2015)	1,2,3,4,5	1465
Gerardus Alesius	(1967-)	Carmina aliquot	*Ad Glyceram modo Sapphico* 1468
Paula Marongiu			1472
Iohannes Lyaeus		Carmina aliquot	1475
Accius Watanabeus		1, Existimationes Haicuum Latinorum …	1480
POESIS LATINA HODIERNA			
…			

alii haud quidem pauci eidemque eloquentiā praestantes
–ignoscant mihi oro ii omnes quorum nomina in elencho supra exhibito desiderantur!-...

Ceterum, in Rete omnium gentium, quod vulgo *Internet* appellitant, scripta Latina fere cotidie eduntur, ut, puta, commentarii genus quoddam, quod Anglice *blog* audit. Cfr., exempli gratia, **duos hosce**, inter alios multos. Primo enim commentario *blogiano* Georgius Tarrega, praeceptor Latinitatis Valentinus, emendato ac puro sermone Latino de rebus praesertim ad institutionem huius linguae pertinentibus disserit. Altero autem commentario, profestrix Alexandra Ramos, quae linguam litterasque Latinas in Studiorum Universitate Gaditana profitetur, de variis rebus latine disserit atque carminula, *haicua* vulgo nuncupata, sale quidem condita atque belle composita edit, quorum carminum terna dumtaxat quin hīc describerem me continere non potui:

Vernis in guttis
ut in nectare suo
flos conditus est.


Si verba siles,
autumnat quodammodo:
fur aestatis!

Ostia pulsat
sub galli cantum frigus.
Autumnascit. Au!

Non denique prius huic conspectui litterarum Latinarum omni aevo excultarum finem imponam, quam dignam fecero mentionem commentariorum periodicorum qui inde ab undevicesimo saeculo sunt editi ad linguae Latinae usum vindicandum atque ad litteras Latinas fovendas.

Quibus praeterea in commentariis periodicis omnibus auctores scientia ac peritia linguae Latinae praestantes scripserunt atque scribunt quorum alii in superiore elencho laudantur, aliorum vero quorundam nomina eo in indice quum exscripta nondum sint, iuxta commentariorum periodicorum inscriptionem afferenda statui, aliorum denique multorum nomina addenda restant.

Deinceps igitur exponuntur nomina nonnullorum commentariorum periodicorum:



AN. XVII - N. 102
AN. D. MCMXLVI-VII
MM DECEMBRI et JANUARIO

Palaestra Latina

Ordinarii et Superiorum licentia

AD AELIUM ANTONIUM NEBRISSENSEM PRIMUM APUD HISPANOS HUMANIORUM LITTERARUM CULTOREM ODE LATINA

Jamjam sonantem Aelius admovet
Olim relictam non bene barbiton,
Doctumque festivis lacessit
Dicere carminibus Magistrum,

Qui litterarum praesidio ferox
Divoque raptus numine, finibus
Non ante defectas Iberis
Barbaricas pepulit catervas.


Qui fonte puro Castaliae bibit
Musis amores, et Sapientiae
Arcana priscorum fluenta
Gentibus Hesperiae reclusit.

Qui nunc ab almo candidus aethere
Vultu sereno spectat Iberiam,
Cui nomen aeternum reliquit
Astra petens fugiente penna.

Isidorus MAULEON, C. M. F.

Celsonae XVI Kal. Dec. A. 1946

Hermes Romanus, I, II, III, IV
Apis Romana, I, II,
Alaudae
Vox Urbis (cf. eruditi elegantisque prosae scriptoris, nomine ***Volfgangi Jenniges***, commentationem cui index ***Vox Urbis*** *(1898-1913) quid sibi proposuerit,* ***Melissa****,* 139 (2007) p. 8-11.)
[cf. quae **Iosephus Maria Mir** de iis commentariis periodicis iudicans scripsit in *Palestrae Latinae* libello 225º, pag. 84: **Vox Urbis**, de litteris ac bonis artibus commentarius: prodiit Romae bis in mense, et postea semel, ab anno 1898 ad a.1914. Ex scriptis efficitur viros fuisse qui in ea materia quam tractabant maxime versati erant ac linguam latinam magna facilitate adhibebant, in iis H. Vecchi di Pieralice et **Josephus Fornari** eminent.
Iuventus
Praeco Latinus [cuius quidem commentarii moderator atque strenuus Latinitatis fautor fuit **Arcadius Avellanus** (1851-1935)]
Alma Roma
[cf. **Iosephus Maria Mir**, ibid.: ***Alma Roma****, ab anno 1914º ad 1942um singulis mensibus vulgatur: in ea de novis verbis latinis saepius inter socios per litteras disputatur: proponuntur nova vocabula, quae ab aliis aut probantur aut altius expenduntur aut meliora proceduntur. Inscriptoribus* ***Josephus Fornari****, moderator commentarii, praestat: qui ponderato judicio mediam sequitur viam; disceptationi dat locum; optimorum tamen auctorum conformatus doctrina linguarum romanicarum reicit barbarismos, novitatibus summa invigilat prudentia, a verbis mediae aetatis abstinendum hortatur. Severior in re tractanda aliquando apparet.*]
Palaestra Latina
Societas Latina [cf. **Iosephus Maria Mir**, ibid.: ***Societas Latina****. mense octobri anno 1932 edi coepta est, et a. 1955 exstinguitur. Moderatorum proposita omnibus patent: linguam latinam ejusque usum excitare atque rerum recentium componere vocabularium: cujus voces a sociis et legentibus ponderantur, investigantur, disputantur. Inter omnes praestat Georgius Lurz, negotiorum moderator, qui facili ac nitida utitur latinitate, grammaticorum subtilitates in scribendo parum curat; normas edit quas docti viri in fingendis vocibus sequantur [...] Alii scriptores: Jos. Holzer et Joannes Lis: qui suis scriptis, admonitionibus, consiliis saepe Societatem Latinam illustrarunt ac probe direxerunt. Joannes autem Lis in verbis faciendis moderatior videtur.*
G. A. Padberg-Drenkpol, qui principia a G. Lurz proposita quibusdam adjectis normis complere vult. Attamen in his normis et consectariis admodum nimis progreditur: nam technica et vulgata verba—id est quae adhibent technici atque scriptores vulgato sermone—interdum nomine ipso differunt; neque ex linguis romanicis aliisque vernaculis, neque ex aetate media, neque tandem ex Graecis multa sine justo judicio et discrimine sumere possumus... (cfr. Soc. Lat., 7(1939)45-49).]
Lygia
Vita Latina
Hermes Americanus
Latinitas
Rumor Varius
Memento Audere Semper
Adulescens
Vox Latina (horum commentariorum moderator atque egregius atque indefatigabilis scriptor erat **Iosephus Antonius Eichenseer** (1924-2008), qui permulta Latino sermone scripsit atque inter antesignanos, ut ita dicamus, Latinitatis ad usum vitamque revocandae iure ac merito celebrandus atque commemorandus est. In cuius praeterea optimi moderatoris locum substituta est docta profestrix atque indefessa scriptrix **Sigrides Albert**.)
Melissa (horum commentariorum moderatores atque assidui emendatae ac doctae orationis scriptores sunt **Caius Licoppe** (1931-) et **Francisca Deraedt**)
Epistula Leonina [huius periodici moderator atque indefessus scriptor est **Nicolaus Gross** (1955-)]
Retiarius
Mercurius [huius periodici de vita et studiis apud Vivarium Novum unus tantum libellus est in lucem emissus kalendis Februariis anno MMXI.]
Mantinea
Vates
…



Puella librum legens, depicta a Carolo **Perugini** *s. XIX*

(AVCTORVM SVPRA LAVDATORVM LOCI EXCERPTI)

1. ...
2. Locus excerptus ex Plauti fabula palliata quae inscribitur *Miles gloriosus*:

Pyrgopolynices
Curate ut splendor meo sit** **clupeo clarior
quam solis radii esse olim quom sudumst solent,
ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
praestringat oculorum aciem in ácie hostibus.
nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,
ne lamentetur neve animum despondeat,
quia se iam pridem feriatam gestitem,
quae misera gestit et fartum facere ex hostibus.
sed ubi Artotrogus hic est?
Artotrogus
Stat propter virum
fortem atque fortunatum et forma regia;
tum bellatorem — Mars haud ausit dicere
neque aequiperare suas virtutes ad tuas.
Pyrg.
Quemne ego servavi in campis Curculioniis,
ubi Bumbomachides Clutomistaridysarchides
erat imperator summus, Neptuni nepos?
Art.
Memini. nempe illum dicis cum armis aureis,
cuius tu legiones difflavisti spiritu,
quasi ventus folia aut paniculum tectorium.
Pyrg.
Istuc quidem edepol nihil est.



Plautus, pictore Camillo Miola (1840-1919)

E fabula palliata quae inscribitur *Amphitruo:*

Mercurius:
Quid nunc? vincon' argumentis, te non esse Sosiam?
Sos.
Tu negas med esse?
Merc.

Quid ego ni negem, qui egomet siem?
Sos.
Per Iovem iuro med esse neque me falsum dicere.
Merc.
At ego per Mercurium iuro, tibi Iovem non credere;
nam iniurato scio plus credet mihi quam iurato tibi.
Sos.
Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.
Merc.
Vbi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia;
nunc, quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.
Sos.
Certe edepol, quom illum contemplo et formam cognosco meam,
quem ad modum ego sum (saepe in speculum inspexi), nimis similest mei;
itidem habet petasum ac vestitum: tam consimilest atque ego;
sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum vel labra,
malae, mentum, barba, collus: totus. quid verbis opust?
si tergum cicatricosum, nihil hoc similist similius.
sed quom cogito, equidem certo idem sum qui semper fui.
novi erum, novi aedis nostras; sane sapio et sentio.
non ego illi obtempero quod loquitur. pultabo foris.

. . .

Amphitruo. ***Scelestissimum te arbitror.***
Sos. ***Nam quam ob rem?***
Amph. ***Quia id quod neque est neque fuit neque futurum est mihi praedicas.***
Sos. ***Eccere, iam tuatim facis <tu>, ut tuis nulla apud te fides sit.***
Amph. ***Quid est? quo modo? iam quidem hercle ego tibi istam***
scelestam, scelus, linguam abscidam.
Sos. ***Tuos sum,***
proinde ut commodumst et lubet quidque facias;
tamen quin loquar haec uti facta sunt hic,
numquam ullo modo me potes deterrere.
Amph. ***Scelestissime, audes mihi praedicare id,***
domi te esse nunc, qui hic ades?
Sos. ***Vera dico.***
Amph. ***Malum quod tibi di dabunt, atque ego hodie dabo.***
Sos. ***Istuc tibist in manu, nam tuos sum.***
Amph. ***Tun me, verbero, audes erum ludificari?***
tune id dicere audes, quod nemo umquam homo antehac
vidit nec potest fieri, tempore uno
homo idem duobus locis ut simul sit?
Sos. ***Profecto ut loquor res ita est.***
Amph. ***Iuppiter te perdat.***
Sos. ***Quid mali sum, ere, tua ex re promeritus?***
Amph. ***Rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me?***
Sos. ***Merito maledicas mihi, si id ita factum est.***
verum haud mentior, resque uti facta dico.
Amph. ***Homo hic ebrius est, ut opinor.***
Sos. ***Vtinam ita essem.***
Amph. ***Optas quae facta.***
Sos. ***Egone?***
Amph. ***Tu istic. ubi bibisti?***
Sos. ***Nusquam equidem bibi.***
Amph. ***Quid hoc sit hominis?***
Sos. ***equidem decies dixi:***
domi ego sum, inquam, ecquid audis?
et apud te adsum Sosia idem.
satin hoc plane, satin diserte,
ere, nunc videor
tibi locutus esse?
Amph. ***Vah, apage te a me.***
Sos. ***Quid est negoti?***
Amph. ***Pestis te tenet.***
Sos. ***Nam quor istuc dicis? equidem valeo et salvos sum recte, Amphitruo.***
Amph. ***At te ego faciam hodie proinde ac meritus es,***
ut minus valeas et miser sis, salvos domum si rediero:
iam sequere sis, erum qui ludificas dictis delirantibus,
qui quoniam erus quod imperavit neglexisti persequi,
nunc venis etiam ultro inrisum dominum:

quae neque fieri possunt neque fando umquam accepit quisquam profers, carnifex;
quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia.
Sos. ***Amphitruo, miserrima istaec miseria est servo bono,***
apud erum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.
Amph. ***Quo id, malum, pacto potest nam—mecum argumentis puta —***
fieri, nunc uti tu <et> hic sis et domi? id dici volo.
Sos. ***Sum profecto et hic et illic. hoc cuivis mirari licet,***
neque tibi istuc mirum *** magis videtur quam mihi.
Amph. ***Quo modo?***
Sos. ***Nihilo, inquam, mirum magis tibi istuc quam mihi;***
neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae,
donec Sosia illic egomet fecit sibi uti crederem.
ordine omne, uti quicque actum est, dum apud hostis sedimus,
edissertavit. tum formam una abstulit cum nomine.
neque lac lactis magis est simile quam ille ego similest mei.
nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum—
Amph. ***Quid igitur?***
Sos. ***Prius multo ante aedis stabam quam illo adveneram.***
Amph. ***Quas, malum, nugas? satin tu sanus es?***
Sos. ***Sic sum ut vides.***
Amph. ***Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu, postquam a me abiit.***
Sos. ***Fateor, nam sum obtusus pugnis pessume.***
Amph. ***Quis te verberavit?***
Sos. ***Egomet memet, qui nunc sum domi.***
Amph. ***Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.***
omnium primum iste qui sit Sosia, hoc dici volo.
Sos. ***Tuos est servos.***
Amph. ***Mihi quidem uno te plus etiam est quam volo,***
neque postquam sum natus habui nisi te servom Sosiam.
Sos. ***At ego nunc, Amphitruo, dico: Sosiam servom tuom***
praeter me alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum patre eodem quo ego sum, forma, aetate item
qua ego sum. quid opust verbis? geminus Sosia hic factust tibi.
Amph. ***Nimia memoras mira. sed vidistin uxorem meam?***
Sos. ***Quin intro ire in aedis numquam licitum est.***
Amph. ***Quis te prohibuit?***
Sos. ***Sosia ille, quem iam dudum dico, is qui me contudit.***
Amph. ***Quis istic Sosia est?***
Sos. ***Ego, inquam. quotiens dicendum est tibi?***
Amph. ***Sed quid ais? num obdormivisti dudum?***
Sos. ***Nusquam gentium.***
Amph. ***Ibi forte istum si vidisses quendam in somnis Sosiam—***
Sos. ***Non soleo ego somniculose eri imperia persequi.***
vigilans vidi, vigilans nunc <te> video, vigilans fabulor,
vigilantem ille me iam dudum vigilans pugnis contudit.
Amph. ***Quis homo? SOS. Sosia, inquam, ego ille. quaeso, nonne intellegis?***
Amph. ***Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.***
Sos. ***Verum actutum nosces, quom illum nosces servom Sosiam.***
Amph. ***Sequere hac igitur me, nam mi istuc primum exquisito est opus.***
[***sed vide ex navi efferantur quae imperavi iam omnia.***
Sos. ***Et memor sum et diligens, ut quae imperes compareant;***
non ego cum vino simitu ebibi imperium tuom.
Amph. ***Vtinam di faxint, infecta dicta re eveniant tua.***]

3. …
4. …
5. Fragmenta aliquot ex Annalium libris excerpta:

<u>Operis initium</u>

<u>Musae quae pedibus magnum pulsatis Olumpum</u>
Musae quas memorant Casmoenas esse Latini
…
Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo!
…
Est locus Hesperiam quam mortales perhibebant,
Quam primum <u>casci</u> populi tenuere Latini
…
Qui vicit non est victor nisi victus fatetur

…
Olli respondet rex Albai Longai
…
O Tite, tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti!
…
At tuba terribili sonitu taratantara dixit
…

Sententia ab Appio dicta

Quo vobis mentes rectae quae stare solebant 194
Antehac, dementes sese flexere viai?
Sed quid ego hic animo lamentor?

Ennii de Naevio sententia

…***scripsere alii rem*** 231
Versibus quos olim Faunei vatesque canebant;
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat
Nec dicti studiosus erat,…



De bello Hannibalico

…***postquam Discordia taetra*** 258
Belli ferratos postes portasque refregit.
Pellitur e medio sapientia, vi geritur res, 263
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes sed maledictis
Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex iure manu consertum sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Fabii Cunctatoris elogium

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Charopi Epirotae pastor T. Quinctium adloquitur

Sollicitari te Tite sic noctesque diesque
* * * * * *
O Tite si quid ego adiuero curamve levasso, 327
Quae nunc te coquit et versat in pectore fixa,
Ecquid erit praemi ?
* * * * * *
Ille vir haud magna cum re, set plenus fidei.
…

Pugna C. Aelii tribuni

Undique conveniunt vel ut imber tela tribuno: 409
Configunt parmam, tinnit astilibus umbo

Aerato sonitu galeae: sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro.
Semper obundantes hastas frangitque quatitque:
Totum sudor habet corpus multumque laborat,
Nec respirandi fit copia: praepete ferro
Histri tela manu iacientes sollicitabant.

Incertae Sedis versus:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

6. …
7. …
8. …
9. …
10. Locus excerptus e Terentii fabula palliata quae inscribitur ***Adelphoe***.

Demea
Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
quin res aetas usus semper aliquid adportet noui,
aliquid moneat: ut illa quae te scisse credas nescias,
et quae tibi putaris primat in experiundo ut repudies.
quod nunc mi euenit: nam ego uitam duram, quam uixi usque adhuc,
prope iam excurso spatio omitto. id quam ob rem? re eapse repperi
facilitate nihil esse homini melius neque clementia.
id esse uerum ex me atque ex fratre quoiuis facilest noscere.
suam ille semper egit uitam in otio, in conuiuiis,
clemens, placidus, nulli laedere os, adridere omnibus:
sibi uixit, sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
ego ille agrestis saeuos tristis parcus truculentus tenax
duxi uxorem: quam ibi miseriam uidi! nati filii:
alia cura heia autem, dum studeo illis ut quam plurumum
facerem, contriui in quaerundo uitam atque aetatem meam:
nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero,
odium; ille alter sine labore patria potitur commoda.
illum amant, me fugitant; illi credunt consilia omnia,
illum diligunt, apud illum sunt ambo, ego desertus sum;
illum ut uiuat optant, meam autem mortem exspectant scilicet.

Locus excerptus e Terentii fabula palliata quae inscribitur ***Heautontimoroumenos***:

Menedemus. ***Chreme, tantumne ab re tuast oti tibi***
aliena ut cures ea quae nil ad te attinent?
Chremes. ***homo sum: humani nil a me alienum puto.***
vel me monere hoc vel percontari puta:
rectumst ego ut faciam; non est te ut deterream.
ME. ***mihi sic est usu'; tibi ut opu' factost face.***
CH. ***an quoiquamst usus homini se ut cruciet?*** ME. ***mihi.***
CH. ***si quid laborist nollem. sed quid istuc malist?***
quaeso, quid de te tantum meruisti? ME. ***eheu!***
CH. ***ne lacruma atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam:***
ne retice, ne verere, crede inquam mihi:
aut consolando aut consilio aut re iuvero.
ME. ***scire hoc vis?*** CH. ***hac quidem causa qua dixi tibi.***
ME. ***dicetur.*** CH. ***at istos rastros interea tamen***
adpone, ne labora. ME. ***minime.*** CH. ***quam rem agis?***
ME. ***sine me vocivom tempu' nequod dem mihi***
labori'. CH. ***non sinam, inquam.*** ME. ***ah non aequom facis.***
CH. ***hui tam gravis hos, quaeso?*** ME. ***sic meritumst meum.***
CH. ***nunc loquere.*** ME. ***filium unicum adulescentulum***
habeo. ah quid dixi habere me? immo habui, Chreme;
nunc habeam necne incertumst. CH. ***quid ita istuc?*** *ME.* **scies.**
est e Corintho hic advena anu' paupercula;
ei(u)s filiam ille amare coepit perdite,
prope iam ut pro uxore haberet: haec clam me omnia.
ubi rem rescivi, coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
tractare, sed vi et via pervolgata patrum.
…

11. E Lucilii fragmentis, quae hucusque pervenerunt, locos excerpendos exscribendosque curavi. Pauca tamen de eius vita ac stilo deinceps narrantur, priusquam auctoris loci exhibeantur:

Fuit Lucilius optimis moribus et alienae iniquitatis acerrimus accusator. (Petrus Crinitus)
Satiris autem praecipua aut potius tota constat Lucilii gloria. … In satira scribenda laudem insignem meruisse Lucilium testantur plurima variorum scriptorum loca. Cfr. Quintilianum, lib. X, cap. I, 93: Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores ut eum non eiusdem modo operis auctoribus sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Nominatim carpsit et exagitavit in satiris, quantum quidem ex pauculis his fragmentis odorari possumus, {permultos}…
Hinc ei libertatem et acerbitatem summam Quintilianus adscribit…

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum
quis in versamur quis vivimus rebus potesse;
virtus est homini scire id quod quaeque habeat res;
virtus scire homini rectum utile quid sit honestum,
quae bona quae mala item, quid inutile turpe inhonestum;
virtus quaerendae finem re scire modumque;
virtus divitiis pretium persolvere posse;
virtus id dare quod re ipsa debetur honori,
hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum.
contra, defensorem hominum morumque bonorum,
hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum,
commoda praeterea patriai prima putare,
deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

…
IX

Nam si tu fluctus undasque e gurgite salso
Tollere decreris, ventum prius Haematium tu
Ventum, inquam, tollas…

…
XVI

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est:
Quantum habeas, tanti ipse sies, tantique habearis.

12. …
13. …
14. …
15. M. T. Ciceronis operum excerpta aliquot:

Ex oratione **pro Archia poeta**:

Ego vērō fateor mē hīs studiīs esse dēditum: cēterōs pudeat, sī quī sē ita litterīs abdidērunt ut nihil possint ex eīs neque ad commūnem adferre frūctum, neque in aspectum lūcemque prōferre.
…
Quā rē quis tandem mē reprehendat, aut quis mihi iūre suscēnseat, sī, quantum cēterīs ad suās rēs obeundās, quantum ad fēstōs diēs lūdōrum celebrandōs, quantum ad aliās voluptātēs et ad ipsam requiem animī et corporis concēditur temporum, quantum aliī tribuunt tempestīvīs convīviīs, quantum dēnique alveolō, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sūmpserō?
…
Sed plēnī omnēs sunt librī, plēnae sapientium vōcēs, plēna exemplōrum vetustās: quae iacērent in tenebrīs omnia, nisi litterārum lūmen accēderet.
…
Ego multōs hominēs excellentī animō ac virtūte fuisse, et sine doctrīnā nātūrae ipsīus habitū prope dīvīnō per sē ipsōs et moderātōs et gravēs exstitisse, fateor: etiam illud adiungō, saepius ad laudem atque virtūtem nātūram sine doctrīnā quam sine nātūrā valuisse doctrīnam. Atque īdem ego contendō, cum ad nātūram eximiam atque inlūstrem accesserit ratiō quaedam cōnfōrmātiōque doctrīnae, tum illud nescio quid praeclārum ac singulāre solēre exsistere.
…
Quod si non his tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen (ut opinor) hanc animi adversionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt neque aetatum omnium neque locorum: haec studia adulescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.
…
Atque sīc ā summīs hominibus ērudītissimīsque accēpimus, cēterārum rērum studia et doctrīnā et praeceptīs et arte cōnstāre: poētam nātūrā ipsā valēre, et mentis vīribus excitārī, et quasi dīvīnō quōdam spīritū īnflārī.
…
Saxa et sōlitūdinēs vōcī respondent, bēstiae saepe immānēs cantū flectuntur atque cōnsistunt: nōs, īnstitūtī rēbus optimīs, nōn poētārum vōce moveāmur?

Ex opusculo philosophico cui index ***Cato Maior de senectute***:

Resistendum, Laeli et Scipio, senectuti est, eiusque vitia diligentia compensanda sunt, pugnandum tamquam contra morbum sic contra senectutem.

Habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi et potionis adhibendum ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori solum subveniendum est, sed menti atque animo multo magis; nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. Et corpora quidem exercitationum defatigatione ingravescunt, animi autem exercendo levantur. Nam quos ait Caecilius

- "comicos stultos senes",

hos significat credulos, obliviosos, dissolutos, quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis. Ut petulantia, ut libido magis est adulescentium quam senum, nec tamen omnium adulescentium, sed non proborum, sic ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium.

Ex opusculo philosophico cuius inscriptio est **Laelius de amicitia**:


Ego si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes; sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus qualis, ut arbitror, nemo umquam erit, ut confirmare possum, nemo certe fuit; sed non egeo medicina, me ipse consolor et maxime illo solacio quod eo errore careo quo amicorum decessu plerique angi solent. Nihil mali accidisse Scipioni puto, mihi accidit, si quid accidit; suis autem incommodis graviter angi non amicum sed se ipsum amantis est. […]

Neque enim assentior iis qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri; plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto si nihil ad eos pertinere arbitrarentur, vel eorum qui in hac terra fuerunt magnamque Graeciam, quae nunc quidem deleta est, tum florebat, institutis et praeceptis suis erudierunt, vel eius qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem semper, animos hominum esse divinos, iisque, cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere, optimoque et iustissimo cuique expeditissimum. […]

Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intellegi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur.

Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio; qua quidem haud scio an excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Beluarum hoc quidem extremum, illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. […]

Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatum causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum quam amici amor ipse delectat, tumque illud fit, quod ab amico est profectum, iucundum, si cum studio est profectum; tantumque abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii qui opibus et copiis maximeque virtute, in qua plurimum est praesidii, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi.
[…] Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam secuta est.



Cicero apud villam, pictore Georgio Labayle

Ex opere philosophico cui index ***Tusculanarum Disputationum*** *libri V*:

- Malum mihi videtur esse mors.
- Iisne, qui mortui sunt, an iis, quibus moriendum est?
- Utrisque. Est miserum igitur, quoniam malum.
- Certe. Ergo et ii, quibus evenit iam ut morerentur, et ii, quibus eventurum est, miseri.
- Mihi ita videtur. Nemo ergo non miser. Prorsus nemo.
- Et quidem, si tibi constare vis, omnes, quicumque nati sunt eruntve, non solum miseri, sed etiam semper miseri. nam si solos eos diceres miseros quibus moriendum esset, neminem tu quidem eorum qui viverent exciperes —moriendum est enim omnibus,— esset tamen miseriae finis in morte. quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. necesse est enim miseros esse eos qui centum milibus annorum ante occiderunt, vel potius omnis, quicumque nati sunt.
- Ita prorsus existimo.
- Dic quaeso: num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, travectio Acherontis, 'mento summam aquam attingens enectus siti' Tantalus? tum illud, quod 'Sisyphus versat saxum sudans nitendo neque proficit hilum?' fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus? …
- Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? An tu haec non credis? Minime vero. Male hercule narras. Cur? quaeso. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem.
- Quis enim non in eius modi causa? aut quid negotii est haec poetarum et pictorum portenta convincere? Atqui pleni libri sunt contra ista ipsa disserentium philosophorum. Inepte sane. quis enim est tam excors, quem ista moveant?
- Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli.
- Ita prorsus existimo.
- Ubi sunt ergo ii, quos miseros dicis, aut quem locum incolunt? si enim sunt, nusquam esse non possunt.
- Ego vero nusquam esse illos puto.
- Igitur ne esse quidem?
- Prorsus isto modo, et tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sint.
- Iam mallem Cerberum metueres quam ista tam inconsiderate diceres. Quid tandem? Quem esse negas, eundem esse dicis. ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum qui non sit dicis esse.
- Non sum ita hebes, ut istud dicam.
- Quid dicis igitur? Miserum esse verbi causa M.Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit, miserum Cn.Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus, omnis denique miseros, qui hac luce careant. Revolveris eodem. sint enim oportet, si miseri sunt; tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil possunt esse; ita ne miseri quidem sunt.
- Non dico fortasse etiam, quod sentio; nam istuc ipsum, non esse, cum fueris, miserrimum puto.
- Quid? miserius quam omnino numquam fuisse? ita, qui nondum nati sunt, miseri iam sunt, quia non sunt, et nos, si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus ante quam nati. ego autem non commemini, ante quam sum natus, me miserum; tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere.
- Ita iocaris, quasi ego dicam eos miseros, qui nati non sint, et non eos miseros, qui mortui sunt.
- Esse ergo eos dicis. Immo, quia non sint, cum fuerint, eo miseros esse.
- Pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quam non modo miserum, sed omnino quicquam esse, qui non sit? […]
- Quoniam me verbo premis, posthac non ita dicam, miseros esse, sed tantum miseros, ob id ipsum, quia non sint.
- Non dicis igitur: 'miser est M.Crassus', sed tantum: 'miser M.Crassus'?
- Ita plane.
- Quasi non necesse sit, quicquid isto modo pronunties, id aut esse aut non esse! an tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum (sic enim mihi in praesentia occurrit ut appellarem axioma, —utar post alio, si invenero melius) id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum. cum igitur dicis: 'miser M.Crassus', aut hoc dicis: 'miser est Crassus', ut possit iudicari, verum id falsumne sit, aut nihil dicis omnino.
-Age, iam concedo non esse miseros, qui mortui sint, quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse. quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne miseri sumus? quae enim potest in vita esse iucunditas, cum dies et noctes cogitandum sit iam iamque esse moriendum?
- Ecquid ergo intellegis, quantum mali de humana condicione deieceris?
- Quonam modo?
- Quia, si mors etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus in vita […]
- sed quoniam coegisti, ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse, perfice, si potes, ut ne moriendum quidem esse miserum putem.
- Iam istuc quidem nihil negotii est, sed ego maiora molior.
- Quo modo hoc nihil negotii est? aut quae sunt tandem ista maiora?
- Quia, quoniam post mortem mali nihil est, ne mors quidem est malum, cui proxumum tempus est post mortem, in quo mali nihil esse concedis: ita ne moriendum quidem esse malum est; id est enim perveniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur.
- Uberius ista, quaeso. haec enim spinosiora, prius ut confitear me cogunt quam ut adsentiar. sed quae sunt ea, quae dicis te maiora moliri? - Ut doceam, si possim, non modo malum non esse, sed bonum etiam esse mortem.
- Non postulo id quidem, aveo tamen audire.

Ex opere epistularum:

Tullius Terentiae suae s.d.

In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae, de qua nihil est quod ad te plura scribam; tibi enim aeque magnae curae esse certo scio. Quod me proprius vultis accedere, video ita esse faciendum: etiam ante fecissem, sed me multa impediverunt, quae ne nunc quidem expedita sunt. Sed a Pomponio exspecto litteras, quas ad me quam primum perferendas cures velim. Da operam, ut valeas.

– *Cicero, Fam. 14.19*

16. …
17. …
18. …
19. …
20. Caesaris textus aliquot excerpti quibus mira de bestiis in regionibus septentrionalibus degentibus narrat:

E libro secundo ***de bello civili***:

Delectum habuit tota provincia, legionibus completis duabus cohortes circiter XXX alarias addidit. Frumenti magnum numerum coegit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petreioque mitteret. Naves longas X Gaditanis ut facerent imperavit, complures praeterea *[in]* ***Hispali faciendas curavit. Pecuniam omnem omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit.***

[…]

Caesar contione habita Cordubae omnibus generatim gratias agit: civibus Romanis, quod oppidum in sua potestate studuissent habere; Hispanis, quod praesidia expulissent; Gaditanis, quod conatus adversariorum infregissent seseque in libertatem vindicassent; tribunis militum centurionibusque, qui eo praesidii causa venerant, quod eorum consilia sua virtute confirmassent. Pecunias, quas erant in publicum Varroni cives Romani polliciti, remittit; bona restituit eis, quos liberius locutos hanc poenam tulisse cognoverat. Tributis quibusdam populis publicis privatisque praemiis reliquos in posterum bona spe complet biduumque Cordubae commoratus Gades proficiscitur; pecunias monumentaque, quae ex fano Herculis collata erant in privatam domum, referri in templum iubet.

E libro sexto ***de bello gallico***:

Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt; militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus Graecis litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere: quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit (quod fere ante Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent aut illatas propulsarent), omnes in bello versantur, atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt adfecti gravioribus morbis quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant aut se immolaturos vovent administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia sint comprehensi gratiora dis immortalibus esse arbitrantur; sed, cum eius generis copia defecit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

Deum maxime Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea quae bello ceperint plerumque devovent: cum superaverunt, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant idque ab druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt; dies natales et mensum et annorum initia sic observant ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitae institutis hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris adsistere turpe ducunt.

Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur: uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem; et cum paterfamiliae illustriore loco natus decessit, eius propinqui conveniunt et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque quae vivis cordi fuisse arbitrantur in ignem inferunt, etiam

animalia, ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab eis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur.

Quae civitates commodius suam rem publicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis quid de re publica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet, quod saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus quae visa sunt occultant quaeque esse ex usu iudicaverunt multitudini produnt. De re publica nisi per concilium loqui non conceditur.

Germani multum ab hac consuetudine differunt. Nam neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student.

21. Loci excerpti ex Hannibalis biographia:

Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis. Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotienscumque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam quam id deposuerit, qui quidem, cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret, numquam destiterit animo bellare cum Romanis.

…

'Pater meus' inquit 'Hamilcar puerulo me, utpote non amplius VIIII annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Iovi optimo maximo hostias immolavit. Quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Id cum libenter accepissem atque ab eo petere coepissem, ne dubitaret ducere, tum ille 'Faciam', inquit 'si mihi fidem, quam postulo, dederis.' Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque ceteris remotis tenentem iurare iussit numquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego ius iurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. Quare, si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris; cum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.' Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est.

…

Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est.

Cuius post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni praefuit. Hoc quoque interfecto exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum publice comprobatum est. Sic Hannibal, minor V et XX annis natus imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit; Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit; tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenaeum transiit. Quacumque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit: neminem nisi victum dimisit. Ad Alpes posteaquam venit, quae Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo umquam cum exercitu ante eum praeter Herculem Graium transierat, quo facto is hodie saltus Graius appellatur, Alpicos conantes prohibere transitu concidit; loca patefecit, itinera muniit, effecit, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. Hac copias traduxit in Italiamque pervenit.



Hannibalis exercitus Alpes transit, pictore Ango McBride

Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione consule eumque pepulerat. Cum hoc eodem Clastidi apud Padum decernit sauciumque inde ac fugatum dimittit. Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam adversus eum venit. Cum his manum conseruit, utrosque profligavit. Inde per Ligures Appenninum transiit, petens Etruriam. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea numquam dextro aeque bene usus sit. Qua valetudine cum etiam tum premeretur lecticaque ferretur C. Flaminium consulem apud Trasumenum cum exercitu insidiis circumventum occidit neque multo post C. Centenium praetorem cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam pervenit. Ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius et L. Aemilius. Utriusque exercitus uno proelio fugavit, Paulum consulem occidit et aliquot praeterea consulares, in his Cn. Servilium Geminum, qui superiore anno fuerat consul.

Hac pugna pugnata Romam profectus est nullo resistente. In propinquis urbi montibus moratus est. Cum aliquot ibi dies castra habuisset et Capuam reverteretur, Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno ei se obiecit. Hic clausus locorum angustiis noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit; Fabioque, callidissimo imperatori, dedit verba. Namque obducta nocte sarmenta in cornibus iuvencorum deligata incendit eiusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino obiecto visu tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus.

…

Longum est omnia enumerare proelia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intellegi possit, quantus ille fuerit: quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

Hinc invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem, filium eius, quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugarat. Cum hoc exhaustis iam patriae facultatibus cupivit impraesentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. In colloquium convenit; condiciones non convenerunt. Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit: pulsus - incredibile dictu - biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit, quod abest ab Zama circiter milia passuum trecenta.

…

Carthaginienses … ***Hannibalem domum et Magonem revocarunt. Huc ut rediit, rex factus est, postquam praetor fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentia se Hannibal praebuit, ac fuerat in bello. Namque effecit, ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia, quae Romanis ex foedere penderetur, sed etiam superesset, quae in aerario reponeretur. Deinde [anno post praeturam] M. Claudio L. Furio consulibus Roma legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal ratus sui exposcendi gratia missos, priusquam iis senatus daretur, navem ascendit clam atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palam facta Poeni naves duas, quae eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt, bona eius publicarunt, domum a fundamentis disiecerunt, ipsum exulem iudicarunt***.

At Hannibal anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum quinque navibus Africam accessit in finibus Cyrenaeorum si forte Carthaginienses ad bellum Antiochi spe fiduciaque inducere posset, cui iam persuaserat ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur.

…

Antiochus autem, si tam in agendo bello consiliis eius parere voluisset, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset.

…

Antiocho fugato verens, ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret.

…

Sic conservatis suis rebus Poenus illusis Cretensibus omnibus ad Prusiam in Pontum pervenit. Apud quem eodem animo fuit erga Italiam neque aliud quicquam egit quam regem armavit et exercuit adversus Romanos. Quem cum videret domesticis opibus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adiungebat bellicosas nationes.

…

…***Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios***.

Quae dum in Asia geruntur, accidit casu ut legati Prusiae Romae apud T. Quintium Flamininum consularem cenarent atque ibi de Hannibale mentione facta ex his unus diceret eum in Prusiae regno esse. Id postero die Flamininus senatui detulit. Patres conscripti, qui Hannibale vivo numquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flamininum, qui ab rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet sibique dederet. His Prusia negare ausus non est: illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus ius hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent; locum ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat, in castello, quod ei a rege datum erat muneri, idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet, scilicet verens, ne usu veniret, quod accidit. Huc cum legati Romanorum venissent ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab ianua prospiciens Hannibali dixit plures praeter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset omnisque exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuito factum, sed se peti neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum venenum, quod semper secum habere consuerat, sumpsit.

Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo.

22. …
23. …
24. …
25. Versus aliquot excerpti ex T. Lucretii Cari libris *De rerum natura*:

Ex primo libro:

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
concelebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis:
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti
placatumque nitet diffuso lumine caelum.
nam simul ac species patefactast verna diei

et reserata viget genitabilis aura favoni,
aeriae primum volucris te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi.
inde ferae pecudes persultant pabula laeta
et rapidos tranant amnis: ita capta lepore
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.
denique per maria ac montis fluviosque rapacis
frondiferasque domos avium camposque virentis
omnibus incutiens blandum per pectora amorem
efficis ut cupide generatim saecla propagent.
quae quoniam rerum naturam sola gubernas
nec sine te quicquam dias in luminis oras
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,
te sociam studeo scribendis versibus esse,
quos ego de rerum natura pangere conor
...
quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.
effice ut interea fera moenera militiai
per maria ac terras omnis sopita quiescant;
nam tu sola potes tranquilla pace iuvare
mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors
armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se
reiicit aeterno devictus vulnere amoris,
atque ita suspiciens tereti cervice reposta
pascit amore avidos inhians in te, dea, visus
eque tuo pendet resupini spiritus ore.
hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto
circum fusa super, suavis ex ore loquellas
funde petens placidam Romanis, incluta, pacem;
…

E libro secundo:

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis
e terra magnum alterius spectare laborem;
non quia vexari quemquamst iucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere suavest.
suave etiam belli certamina magna tueri
per campos instructa tua sine parte pericli;
sed nihil dulcius est, bene quam munita tenere
edita doctrina sapientum templa serena,
despicere unde queas alios passimque videre
errare atque viam palantis quaerere vitae,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.
o miseras hominum mentes, o pectora caeca!
qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
degitur hoc aevi quod cumquest! nonne videre
nihil aliud sibi naturam latrare, nisi ut qui
corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
iucundo sensu cura semota metuque?

Ex tertio libro:

Aufer abhinc lacrimas, baratre, et compesce querellas.
omnia perfunctus vitai praemia marces;
sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
imperfecta tibi elapsast ingrataque vita,
et nec opinanti mors ad caput adstitit ante
quam satur ac plenus possis discedere rerum.

E quarto libro:

Nam vitare, plagas in amoris ne iaciamur,
non ita difficile est quam captum retibus ipsis
exire et validos Veneris perrumpere nodos.
et tamen implicitus quoque possis inque peditus
effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes

et praetermittas animi vitia omnia primum
aut quae corporis sunt eius, quam praepetis ac vis.
nam faciunt homines plerumque cupidine caeci
et tribuunt ea quae non sunt his commoda vere.

26. …
27. …
28. …
29. …
30. Catulli carmina aliquot:

carmen III

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
et quantum est hominum venustiorum:
passer mortuus est meae puellae,
passer, deliciae meae puellae,
quem plus illa oculis suis amabat.
nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem,
nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc modo illuc
ad solam dominam usque pipiabat.
qui nunc it per iter tenebricosum
illuc, unde negant redire quemquam.
at vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
tam bellum mihi passerem abstulistis
o factum male! o miselle passer!
tua nunc opera meae puellae
flendo turgiduli rubent ocelli.

carmen V

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis!
soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.



Catullus, romanus vates, opera sua amicis recitans, pictore Stephano **Bakałowicz**

carmen XI
ad Furium et Aurelium

Furi et Aureli comites Catulli,
sive in extremos penetrabit Indos,
litus ut longe resonante Eoa

tunditur unda,
sive in Hyrcanos Arabesve molles,
seu Sagas sagittiferosve Parthos,
sive quae septemgeminus colorat
aequora Nilus,
sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monimenta magni,
Gallicum Rhenum horribile aequor ultimosque Britannos,
omnia haec, quaecumque feret voluntas
caelitum, temptare simul parati,
pauca nuntiate meae puellae
non bona dicta.
cum suis vivat valeatque moechis,
quos simul complexa tenet trecentos,
nullum amans vere, sed identidem omnium
ilia rumpens;
nec meum respectet, ut ante, amorem,
qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos, praetereunte postquam
tactus aratro est.

carmen XXXI

Paene insularum, Sirmio, insularumque
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
marique vasto fert uterque Neptunus,
quam te libenter quamque laetus inviso,
vix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos
liquisse campos et videre te in tuto.
o quid solutis est beatius curis,
cum mens onus reponit, ac peregrino
labore fessi venimus larem ad nostrum,
desideratoque acquiescimus lecto?
hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude
gaudente, vosque, o Lydiae lacus undae,
ridete quidquid est domi cachinnorum.

carmen XXXIV

Dianae sumus in fide
puellae et pueri integri:
Dianam pueri integri
puellaeque canamus.

o Latonia, maximi
magna progenies Iovis,
quam mater prope Deliam
deposiuit olivam,

montium domina ut fores
silvarumque virentium
saltuumque reconditorum
amniumque sonantum:

tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
tu potens Trivia et notho es
dicta lumine Luna.

tu cursu, dea, menstruo
metiens iter annuum,
rustica agricolae bonis
tecta frugibus exples.

sis quocumque tibi placet
sancta nomine, Romulique,

antique ut solita es, bona
sospites ope gentem.

carmen LI

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit
dulce ridentem, misero quod omnis
eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
* * * * * * * *
lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suopte
tintinant aures gemina, teguntur
lumina nocte.
otium, Catulle, tibi molestum est:
otio exsultas nimiumque gestis:
otium et reges prius et beatas
perdidit urbes.

31. …
32. …
33. …
34. …
35. Locus excerptus e Sallustii operibus:

- Ex opere cui index ***Bellum Catilinarium***:

Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur.

[…]

Catilina ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens univorsos appellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit atque ibi omnibus arbitris procul amotis orationem huiusce modi habuit:

"Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, nequiquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent, neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem.

"Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere, simul quia vobis eadem, quae mihi, bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego quae mente agitavi, omnes iam antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quae condicio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, iis obnoxii, quibus, si res publica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt aut ubi illi volunt; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quae quousque tandem patiemini, o fortissumi viri? Nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero, pro deum atque hominum fidem, victoria in manu nobis est: viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantum modo incepto opus est, cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? Illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Cum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior: denique quid reliqui habemus praeter miseram animam?

"Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt; fortuna omnia ea victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos

hortantur. Vel imperatore vel milite me utimini! Neque animus neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi forte me animus fallit et vos servire magis quam imperare parati estis."

[…]

Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit cum mandatis huiusce modi: "Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate faeneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. Neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere: tanta saevitia faeneratorum atque praetoris fuit. Saepe maiores vostrum, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt; ac novissume memoria nostra propter magnitudinem aeris alieni volentibus omnibus bonis argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebs, aut dominandi studio permota aut superbia magistratuum armata, a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. Te atque senatum obtestamur: consulatis miseris civibus, legis praesidium, quod iniquitas praetoris eripuit, restituatis neve nobis eam necessitudinem inponatis, ut quaeramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus!"

- Ex opere cui index **Bellum Iugurthinum**:

Falso queritur de natura sua genus humanum, quod inbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias magisque naturae industriam hominum quam vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est. Qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est neque fortuna eget, quippe quae probitatem, industriam aliasque artis bonas neque dare neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est, perniciosa libidine paulisper usus, ubi per socordiam vires tempus ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur: suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa ac perniciosa petunt, neque regerentur magis quam regerent casus et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cuncta studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam secuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis et alia omnia huiusce modi brevi dilabuntur; at ingeni egregia facinora sicuti anima immortalia sunt. Postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est, omniaque orta occidunt et aucta senescunt: animus incorruptus, aeternus, rector humani generis agit atque habet cuncta neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum et ignaviam aetatem agunt, ceterum ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt, cum praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

Verum ex iis magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minime mihi hac tempestate cupienda videntur, quoniam neque virtuti honor datur neque illi, quibus per fraudem iis fuit uti, tuti aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentis, quamquam et possis et delicta corrigas, tamen importunum est, cum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam aliaque hostilia portendant. Frustra autem niti neque aliud se fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa libido tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum. Cuius de virtute quia multi dixere, praetereundum puto, simul ne per insolentiam quis existimet memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore qui, quia decrevi procul a re publica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant, certe quibus maxima industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sum [et] quales viri idem assequi nequiverint et postea quae genera hominum in senatum pervenerint, profecto existimabunt me magis merito quam ignavia iudicium animi mei mutavisse maiusque commodum ex otio meo quam ex aliorum negotiis rei publicae venturum. Nam saepe ego audivi Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur; proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiusce modi per se ipsa clara et magnifica sint ac non perinde habeantur, ut eorum qui ea sustinent virtus est. Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque. Nunc ad inceptum redeo.

36. …
37. …
38. …
39. …
40. Loci excerpti e tribus notissimis carminibus Vergilii:



- E prima ecloga:

***Tityre*, tu patulae recubans sub tegmine fagi**
silvestrem tenui Musam meditaris avena;
nos patriae fines et dulcia linquimus arva.
nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
***formosam resonare doces Amaryllida silvas*.**

[…]

fortunate senex, hic inter flumina nota
et fontis sacros frigus captabis opacum;
hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti
saepe levi somnum suadebit inire susurro;
hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes
nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

Tityrus

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi
et freta destituent nudos in litore pisces,
ante pererratis amborum finibus exsul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
***quam nostro illius labatur pectore vultus*.**

Meliboeus

At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen
et penitus toto divisos orbe Britannos.
en umquam patrios longo post tempore finis
pauperis et tuguri congestum caespite culmen,
post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
impius haec tam culta novalia miles habebit,
barbarus has segetes. en quo discordia civis
produxit miseros; his nos consevimus agros!
insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites.
ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
non ego vos posthac viridi proiectus in antro
dumosa pendere procul de rupe videbo;
carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
***florentem cytisum et salices carpetis amaras*.**

Tityrus

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
fronde super viridi. sunt nobis mitia poma,
castaneae molles et pressi copia lactis,
et iam summa procul villarum culmina fumant
***maioresque cadunt altis de montibus umbrae*.**

[…]
E tertia ecloga:

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
arboribus venti, nobis Amaryllidos irae.

…

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
frigidus—o pueri, fugite hinc—latet anguis in herba.

…

Non nostrum inter vos tantas componere lites:
et vitula tu dignus et hic et quisquis amores
aut metuet dulcis aut experietur amaros.
claudite iam rivos, pueri; sat prata biberunt.

E quarta ecloga:

Sicelides Musae, paulo maiora canamus.
non omnīs arbusta iuvant humilesque myricae;
si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
iam nova progenies caelo demittitur alto.
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
casta fave Lucina; tuus iam regnat Apollo.

- E secundo *Georgicon* libro:

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! Quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus undam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postīs
Illusasque auro vestis Ephyreiaque aera,
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur usus oliui;
At secura quies et nescia fallere vita,
Dives opum uariarum; at latis otia fundis,
Speluncae vivique lacus, at frigida Tempe
Mugitusque boum mollesque sub arbore somni
Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum
Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,
Sacra deum sanctique patres; extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios lunaeque labores;
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin has ne possim naturae accedere partīs
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi
Spercheosque et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o qui me gelidis convallibus Haemi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix qui potuit rerum cognoscere causas
Atque metus omnīs et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari:

Fortunatus et ille deos qui novit agrestis
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit et infidos agitans discordia fratres,
Aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
Non res Romanae perituraque regna; neque ille
Aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.

- E secundo Æneidos libro:



Aeneas Didoni de Troia narrat, pictore Petro Narcisso ***Guérin*** (1774-1833)

Conticuēre omnēs intentīque ōra tenēbant.
Inde torō pater Aenēas sīc orsus ab altō:
Infandum, rēgīna, iubēs renovāre dolōrem,
Troiānās ut opēs et lāmentābile regnum
ēruerint Danaī, quaeque ipse miserrima vīdī
et quōrum pars magna fuī. quis tālia fandō
Myrmidonum Dolopumve aut dūrī mīles Ulixi
temperet ā lacrimīs? et iam nox ūmida caelō
praecipitat suadentque cadentia sīdera somnōs.
sed sī tantus amor cāsūs cognoscere nostrōs
et breviter Troiae sūprēmum audīre labōrem,
quamquam animus meminīsse horret luctūque refūgit,
incipiam …

[…]

Hic aliud maius miseris multoque tremendum
obicitur magis atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(horresco referens) immensis orbibus angues
incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt;
pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
sanguineae superant undas, pars cetera pontum
pone legit sinuatque immensa volumine terga.
fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant
ardentisque oculos suffecti sanguine et igni
sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
diffugimus visu exsangues. illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
corpora natorum serpens amplexus uterque
implicat et miseros morsu depascitur artus;
post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
corripiunt spirisque ligant ingentibus; et iam
bis medium amplexi, bis collo squamea circum
terga dati superant capite et cervicibus altis.
ille simul manibus tendit divellere nodos
perfusus sanie vittas atroque veneno,
clamores simul horrendos ad sidera tollit:
qualis mugitus, fugit cum saucius aram
taurus et incertam excussit cervice securim.



at gemini lapsu delubra ad summa dracones
effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem,
sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
insinuat pavor, et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
numina conclamant.

41. …
42. …
43. …
44. …
45. Versus excerpti ex auctoris carminibus:

E primo *Carminum* libro:

Ode IV

Ad L. Sextium, consularem

Soluitur acris hiems grata vice veris et Favoni
trahuntque siccas machinae carinas,
ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni
nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatiunt pede, dum gravis Cyclopum
Volcanus ardens visit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
aut flore, terrae quem ferunt solutae;
nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
seu poscat agna sive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turris. O beate Sesti,
vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam.
Iam te premet nox fabulaeque Manes
et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,
nec regna vini sortiere talis
nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

Ode XI

Ad Leuconoen

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
temptaris numeros. Ut melius quicquid erit pati!
Seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum, sapias, vina liques et spatio brevi
spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

E secundo *Carminum* libro:

Ode X

***Rectius vives**, Licini, neque altum*
semper urgendo neque, dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret invidenda
sobrius aula.

Saepius ventis agitatur ingens
pinus et celsae graviore casu
decidunt turres feriuntque summos
fulgura montis.

Sperat infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum
pectus. Informis hiemes reducit
Iuppiter, idem

summovet. Non, si male nunc, et olim
sic erit: quondam cithara tacentem
suscitat Musam neque semper arcum
tendit Apollo.

Rebus angustis animosus atque
fortis appare; sapienter idem
contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

E tertio *Carminum* libro:

Ode XVIII

***Faune**, Nympharum fugientum amator,*
per meos finis et aprica rura
lenis incedas abeasque parvis
aequus alumnis,

si tener pleno cadit haedus anno
larga nec desunt Veneris sodali
vina craterae, vetus ara multo
fumat odore.

Ludit herboso pecus omne campo,
cum tibi Nonae redeunt Decembres,
festus in pratis vacat otioso
cum bove pagus;

inter audacis lupus errat agnos,
spargit agrestis tibi silva frondes,
gaudet invisam pepulisse fossor
ter pede terram.

Ode XXX

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non Aquilo impotens
possit diruere aut innumerabilis
annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaque pars mei
vitabit Libitinam; usque ego postera

crescam laude recens, dum Capitolium
scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnavit populorum, ex humili potens
princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. Sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam.

46. …
47. …
48. …
49. …
50. …
51. …
52. …
53. …
54. …

55. Versus aliquot excerpti ex *Elegiarum* primi libri capite decimo:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!



Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
Tum brevior dirae mortis aperta via est.
An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras?
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus sparsas dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, volgi nec tristia nossem
Arma nec audissem corde micante tubam;
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi.

56. Haec carmina inveniuntur in Corpore Tibulliano.

I

Tandem venit amor, qualem texisse pudori
quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
Exorata meis illum Cytherea Camenis
attulit in nostrum deposuitque sinum.
Exsolvit promissa Venus: mea gaudia narret,
dicetur si quis non habuisse sua.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
ne legat id nemo quam meus ante, velim.
Sed peccasse iuvat, vultus componere famae
taedet: cum digno digna fuisse ferar.

II

Invisus natalis adest, qui rure molesto
et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae

atque Arretino frigidus amnis agro?
Iam nimium Messalla mei studiose, quiescas,
non tempestivae, saeve propinque, viae!
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
arbitrio quamvis non sinis esse meo.

V

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
quod mea nunc vexat corpora fessa calor?
A! ego non aliter tristes evincere morbos
optarim, quam te si quoque velle putem.
At mihi quid prosit morbos evincere, si tu
nostra potes lento pectore ferre mala?

57. …
58. …
59. …
60. E primo *Metamorphoseon* libro:

Primus amor Phoebi Daphne Peneia, quem non
Fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira,
…
Phoebus amat visaeque cupit connubia Daphnes,
Quodque cupit, sperat, suaque illum oracula fallunt,
…
Sic deus in flammas abiit, sic pectore toto

Uritur et sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos
Et 'quid, si comantur?' ait. Videt igne micantes
Sideribus similes oculos, videt oscula, quae non
Est vidisse satis; laudat digitosque manusque

Bracchiaque et nudos media plus parte lacertos;
Si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura
Illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:
'Nympha, precor, Penei, mane! non insequor hostis.
Nympha, mane! sic agna lupum, sic cerva leonem,

Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,
Hostes quaeque suos: amor est mihi causa sequendi!
Me miserum! ne prona cadas indignave laedi
Crura notent sentes et sim tibi causa doloris!
Aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro,

Curre fugamque inhibe, moderatius insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen: non incola montis,
Non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
Horridus observo. Nescis, temeraria, nescis,
Quem fugias, ideoque fugis: mihi Delphica tellus

Et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;
Iuppiter est genitor; per me, quod eritque fuitque
Estque, patet; per me concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit!

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, et herbarum subiecta potentia nobis.
Ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis
Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!

Plura locuturum timido Peneia cursu
Fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,
Tum quoque visa decens; nudabant corpora venti,
Obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
Et levis impulsos retro dabat aura capillos,
Auctaque forma fuga est. Sed enim non sustinet ultra

Perdere blanditias iuvenis deus, utque movebat

Ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
…
Sic deus et virgo est hic spe celer, illa timore.

Qui tamen insequitur pennis adiutus Amoris,
Ocior est requiemque negat tergoque fugacis
Imminet et crinem sparsum cervicibus afflat.
Viribus absumptis expalluit illa citaeque
Victa labore fugae spectans Peneidas undas
'Fer, pater,' inquit 'opem! si flumina numen habetis
Qua nimium placui, mutando perde figuram!'



sculptore Ioanne L. ***Bernini*** *1598-1680*

Vix prece finita torpor gravis occupat artus:
Mollia cinguntur tenui praecordia libro,
In frondem crines, in ramos bracchia crescunt,
Pes, modo tam velox, pigris radicibus haeret,
Ora cacumen obit; remanet nitor unus in illa.
Hanc quoque Phoebus amat positaque in stipite dextra
Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus
Complexusque suis ramos ut membra lacertis

Oscula dat ligno; refugit tamen oscula lignum.
Cui deus 'at, quoniam coniunx mea non potes esse,
Arbor eris certe' dixit 'mea! semper habebunt
Te coma, te citharae, te nostrae, Laure, pharetrae;
Tu ducibus Latiis aderis, cum laeta Triumphum

Vox canet et visent longas Capitolia pompas;
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis mediamque tuebere quercum,
Utque meum intonsis caput est iuvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores!'

Finierat Paean: factis modo laurea ramis
Adnuit utque caput visa est agitasse cacumen.

E secundo *Metamorphoseon* libro:

Iuppiter et Europa

[*Mercurium*]
Sevocat hunc genitor nec causam fassus amoris
'Fide minister' ait 'iussorum, nate, meorum,
Pelle moram solitoque celer delabere cursu,
Quaeque tuam matrem tellus a parte sinistra
Suspicit (indigenae Sidonida nomine dicunt),
Hanc pete, quodque procul montano gramine pasci
Armentum regale vides, ad litora verte!'

Dixit, et expulsi iamdudum monte iuvenci
Litora iussa petunt, ubi magni filia regis
Ludere virginibus Tyriis comitata solebat.
Non bene conveniunt nec in una sede morantur
Maiestas et amor. Sceptri gravitate relicta,
Ille pater rectorque deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri mixtusque iuvencis
Mugit et in teneris formosus obambulat herbis.
Quippe color nivis est, quam nec vestigia duri
Calcavere pedis nec solvit aquaticus Auster.
Colla toris exstant, armis palearia pendent,
Cornua parva quidem, sed quae contendere possis
Facta manu, puraque magis perlucida gemma.
Nullae in fronte minae, nec formidabile lumen:
Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
Quod tam formosus, quod proelia nulla minetur;
Sed quamvis mitem metuit contingere primo,
Mox adit et flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans et, dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus; vix iam, vix cetera differt;
Et nunc alludit viridique exsultat in herba,
Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis;
Paulatimque metu dempto modo pectora praebet
Virginea plaudenda manu, modo cornua sertis
Impedienda novis. Ausa est quoque regia virgo
Nescia, quem premeret, tergo considere tauri,



Raptus Europae, pictore Ioanne-Baptista Marie Pierre (1714–1789)

Cum deus a terra siccoque a litore sensim
Falsa pedum primis vestigia ponit in undis;
Inde abit ulterius mediique per aequora ponti
Fert praedam. Pavet haec litusque ablata relictum
Respicit et dextra cornum tenet, altera dorso
Imposita est; tremulae sinuantur flamine vestes.

E tertio *Metamorphoseon* libro:

Narcissus et Echo

Liriope nympha…

… *enixa est utero pulcherrima pleno*
Infantem Nymphis iam tunc qui posset amari,
Narcissumque vocat. De quo consultus, an esset
Tempora maturae visurus longa senectae,
Fatidicus vates 'si se non noverit' inquit.
Vana diu visa est vox auguris. Exitus illam
Resque probat letique genus novitasque furoris.
Iamque ter ad quinos unum Cephisius annum

Addiderat poteratque puer iuvenisque videri:
Multi illum iuvenes, multae cupiere puellae;
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuvenes, nullae tetigere puellae.
Aspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos
Vocalis Nymphe, quae nec reticere loquenti
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat et tamen usum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat,
Reddere de multis ut verba novissima posset.

...

Ergo ubi Narcissum per devia rura vagantem
Vidit et incaluit, sequitur vestigia furtim,
Quoque magis sequitur, flamma propiore calescit,
Non aliter quam cum summis circumlita taedis
Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam.
O quotiens voluit blandis accedere dictis
Et molles adhibere preces! natura repugnat
Nec sinit, incipiat, sed, quod sinit, illa parata est
Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Forte puer comitum seductus ab agmine fido
Dixerat: 'ecquis adest?' et 'adest' responderat Echo.
Hic stupet atque aciem partes dimisit in omnes,
Voce 'veni!' magna clamat: vocat illa vocantem.
Respicit et rursus nullo veniente 'quid' inquit
'Me fugis?' et totidem, quot dixit, verba recepit.
Perstat et alternae deceptus imagine vocis
'Huc coeamus' ait, nullique libentius umquam
Responsura sono 'coeamus' rettulit Echo



Et verbis favet ipsa suis egressaque silva
Ibat, ut iniceret sperato bracchia collo;
Ille fugit fugiensque 'manus complexibus aufer!
Ante' ait 'emoriar, quam sit tibi copia nostri';
Rettulit illa nihil nisi 'sit tibi copia nostri!'
Spreta latet silvis pudibundaque frondibus ora
Protegit et solis ex illo vivit in antris;
Sed tamen haeret amor crescitque dolore repulsae;
Extenuant vigiles corpus miserabile curae,
Adducitque cutem macies et in aera succus
Corporis omnis abit; vox tantum atque ossa supersunt:
Vox manet. Ossa ferunt lapidis traxisse figuram.

Inde latet silvis nulloque in monte videtur,
Omnibus auditur: sonus est, qui vivit in illa.

E quarto *Metamorphoseon* libro:

Pyramus et Thisbe

'Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter,
Altera, quas Oriens habuit, praelata puellis,
Contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.
Notitiam primosque gradus vicinia fecit;
Tempore crevit amor; taedae quoque iure coissent,
Sed vetuere patres: quod non potuere vetare,
Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
Conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur,
Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.
Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,
Cum fieret, paries domui communis utrique.
Id vitium nulli per saecula longa notatum –
Quid non sentit amor? – primi sensistis amantes



Thisbe, pictore Ioanne Vilelmo **Whaterhouse** *(1849-1917)*

Et vocis fecistis iter, tutaeque per illud
Murmure blanditiae minimo transire solebant.
Saepe, ubi constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,
Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris,
"Invide" dicebant "paries, quid amantibus obstas?
Quantum erat, ut sineres toto nos corpore iungi
Aut, hoc si nimium est, vel ad oscula danda pateres?
Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur,
Quod datus est verbis ad amicas transitus auris."
Talia diversa nequiquam sede locuti
Sub noctem dixere "vale" partique dedere
Oscula quisque suae non pervenientia contra.
Postera nocturnos Aurora removerat ignes,
Solque pruinosas radiis siccaverat herbas:
Ad solitum coiere locum. tum murmure parvo
Multa prius questi statuunt, ut nocte silenti
Fallere custodes foribusque excedere temptent,
Cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquant,
Neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
Conveniant ad busta Nini lateantque sub umbra
Arboris: arbor ibi niveis uberrima pomis,
Ardua morus, erat, gelido contermina fonti.
Pacta placent; et lux, tarde discedere visa,
Praecipitatur aquis, et aquis nox exit ab isdem.

'Callida per tenebras versato cardine Thisbe
Egreditur fallitque suos adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit.
Audacem faciebat amor. venit ecce recenti
Caede leaena boum spumantis oblita rictus
Depositura sitim vicini fontis in unda;
Quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe
Vidit et obscurum timido pede fugit in antrum,
Dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
Ut lea saeva sitim multa conpescuit unda,
Dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
Ore cruentato tenues laniavit amictus.
Serius egressus vestigia vidit in alto
Pulvere certa ferae totoque expalluit ore
Pyramus; ut vero vestem quoque sanguine tinctam
Repperit, "una duos" inquit "nox perdet amantes,
E quibus illa fuit longa dignissima vita;
Nostra nocens anima est. ego te, miseranda, peremi,
In loca plena metus qui iussi nocte venires
Nec prior huc veni. nostrum divellite corpus
Et scelerata fero consumite viscera morsu,
O quicumque sub hac habitatis rupe leones!
Sed timidi est optare necem." velamina Thisbes
Tollit et ad pactae secum fert arboris umbram,
Utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,
"Accipe nunc" inquit "nostri quoque sanguinis haustus!"
Quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum,
Nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit.
Ut iacuit resupinus humo, cruor emicat alte,
Non aliter quam cum vitiato fistula plumbo
Scinditur et tenui stridente foramine longas
Eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit.
Arborei fetus adspergine caedis in atram
Vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
puniceo tinguit pendentia mora colore.
Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
Illa redit iuvenemque oculis animoque requirit,
Quantaque vitarit narrare pericula gestit;
Utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
Sic facit incertam pomi color: haeret, an haec sit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
Membra solum, retroque pedem tulit, oraque buxo
Pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,
Quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
Sed postquam remorata suos cognovit amores,
Percutit indignos claro plangore lacertos
Et laniata comas amplexaque corpus amatum
Vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori
Miscuit et gelidis in vultibus oscula figens
"Pyrame," clamavit, "quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde! tua te carissima Thisbe
Nominat; exaudi vultusque attolle iacentes!"
Ad nomen Thisbes oculos a morte gravatos
Pyramus erexit visaque recondidit illa.
Quae postquam vestemque suam cognovit et ense
Vidit ebur vacuum, "tua te manus" inquit "amorque
Perdidit, infelix! est et mihi fortis in unum
Hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires.
Persequar extinctum letique miserrima dicar
Causa comesque tui: quique a me morte revelli
Heu sola poteras, poteris nec morte revelli.
Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
O multum miseri meus illiusque parentes,
Ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,
Componi tumulo non invideatis eodem;
At tu quae ramis arbor miserabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum,
Signa tene caedis pullosque et luctibus aptos
Semper habe fetus, gemini monimenta cruoris."

Dixit et aptato pectus mucrone sub imum
Incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.



Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes;
Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater,
Quodque rogis superest, una requiescit in urna.'

E sexto Metamorphoseon libro:

Arachne

Praebuerat dictis Tritonia talibus aures
Carminaque Aonidum iustamque probaverat iram;
Tum secum: 'laudare parum est, laudemur et ipsae
Numina nec sperni sine poena nostra sinamus.'
Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes,
Quam sibi lanificae non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco nec origine gentis
Clara, sed arte fuit: …
Quaesierat studio nomen memorabile, quamvis 12
Orta domo parva parvis habitabat Hypaepis.
Huius ut aspicerent opus admirabile, saepe
Deseruere sui Nymphae vineta Timoli,
Deseruere suas Nymphae Pactolides undas.
Nec factas solum vestes, spectare iuvabat
Tum quoque, cum fierent: tantus decor affuit arti,
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes,
Seu digitis subigebat opus repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas aequantia tractu,
Sive levi teretem versabat pollice fusum,
Seu pingebat acu; scires a Pallade doctam.



Arachne, pictore P. **Veronese** *(1528-1588)*

Quod tamen ipsa negat tantaque offensa magistra
'Certet' ait 'mecum: nihil est, quod victa recusem!'
Pallas anum simulat: falsosque in tempora canos
Addit et infirmos, baculo quos sustinet, artus.
Tum sic orsa loqui 'non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus, habet: seris venit usus ab annis.
Consilium ne sperne meum: tibi fama petatur

Inter mortales faciendae maxima lanae;
Cede deae veniamque tuis, temeraria, dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.'
Aspicit hanc torvis inceptaque fila relinquit
Vixque manum retinens confessaque vultibus iram
Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
'Mentis inops longaque venis confecta senecta,
Et nimium vixisse diu nocet. Audiat istas,
Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces;
Consilii satis est in me mihi, neve monendo
Profecisse putes, eadem est sententia nobis.
Cur non ipsa venit? Cur haec certamina vitat?'
Tum dea 'venit!' ait formamque removit anilem
Palladaque exhibuit. Venerantur Numina Nymphae
Mygdonidesque nurus; sola est non territa virgo,
Sed tamen erubuit, subitusque invita notavit
Ora rubor rursusque evanuit, ut solet aer
Purpureus fieri, cum primum Aurora movetur,
Et breve post tempus candescere solis ab ortu.
Perstat in incepto stolidaeque cupidine palmae
In sua fata ruit; neque enim Iove nata recusat
Nec monet ulterius nec iam certamina differt.
Haud mora, consistunt diversis partibus ambae
Et gracili geminas intendunt stamine telas:
...



Minerva et Arachne, pictore Iacobo ***Tintoretto*** *(1518-1594)*

. . .
Utraque festinant cinctaeque ad pectora vestes 59
Bracchia docta movent, studio fallente laborem.
. . .
Illic et lentum filis immittitur aurum 68
Et vetus in tela deducitur argumentum.
. . .
Non illud Pallas, non illud carpere Livor 129
Possit opus. Doluit successu flava virago
Et rupit pictas, caelestia crimina, vestes,
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes.



Minerva et Arachne, pictore Renato Antonio ***Houasse****, 1706*

Non tulit infelix laqueoque animosa ligavit
Guttura. Pendentem Pallas miserata levavit
Atque ita 'vive quidem, pende tamen, improba' dixit,
'Lexque eadem poenae, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi serisque nepotibus esto!'
Post ea discedens succis Hecateidos herbae

Sparsit: et extemplo tristi medicamine tactae
Defluxere comae, cum quis et naris et aures,
Fitque caput minimum, toto quoque corpore parva est:
In latere exiles digiti pro cruribus haerent,
Cetera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamen et antiquas exercet aranea telas.

Ex octavo *Metamorphoseon* libro:

Daedalus et Icarus

Daedalus interea Creten longumque perosus
Exilium tactusque loci natalis amore
Clausus erat pelago. 'Terras licet' inquit 'et undas
Obstruat, at caelum certe patet. Ibimus illac:
Omnia possideat, non possidet aera Minos.'
Dixit et ignotas animum dimittit in artes
Naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas
a minima coeptas, longam breviore sequenti,
Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tum lino medias et ceris alligat imas
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat et, ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti modo, quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima coepto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus motaque pependit in aura.
Instruit et natum 'medio' que 'ut limite curras,
Icare,' ait 'moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat:
Inter utrumque vola. Nec te spectare Booten
Aut Helicen iubeo strictumque Orionis ensem:
Me duce carpe viam!' Pariter praecepta volandi
Tradit et ignotas umeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genae maduere seniles,
Et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo pennisque levatus
Ante volat comitique timet, velut ales, ab alto
Quae teneram prolem produxit in aera nido,
Hortaturque sequi damnosasque erudit artes
Et movet ipse suas et nati respicit alas.
Hos aliquis tremula dum captat harundine pisces,
Aut pastor baculo stivave innixus arator
Vidit et obstipuit, quique aethera carpere possent,
Credidit esse deos. Et iam Iunonia laeva
Parte Samos (fuerant Delosque Parosque relictae)
Dextra Lebinthos erat fecundaque melle Calymne,
Cum puer audaci coepit gaudere volatu
Deseruitque ducem caelique cupidine tractus
Altius egit iter. Rapidi vicinia solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras;
Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas percipit auras,
Oraque caerulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.



Casus Icari, pictore Carolo **Saraceni** *(c.1579-1620)*

At pater infelix, nec iam pater, 'Icare,' dixit,
'Icare,' dixit 'ubi es? Qua te regione requiram?'
'Icare' dicebat. Pennas aspexit in undis
Devovitque suas artes corpusque sepulcro
Condidit, et tellus a nomine dicta sepulti.

. . .

Philemon et Baucis

Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
Moverat. Irridet credentes, utque deorum
Spretor erat mentisque ferox, Ixione natus
'Ficta refers nimiumque putas, Acheloe, potentes
Esse deos,' dixit 'si dant adimuntque figuras.'
Obstipuere omnes nec talia dicta probarunt,
Ante omnesque Lelex animo maturus et aevo,
Sic ait: 'immensa est finemque potentia caeli
Non habet, et quicquid superi voluere, peractum est,
Quoque minus dubites, tiliae contermina quercus
Collibus est Phrygiis modico circumdata muro.
Ipse locum vidi; nam me Pelopeia Pittheus
Misit in arva suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim,
Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae;
Iuppiter huc specie mortali cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere locum requiemque petentes,
Mille domos clausere serae; tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis et canna tecta palustri,
Sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon
Illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa
Consenuere casa paupertatemque fatendo
Effecere levem nec iniqua mente ferendam;
Nec refert, dominos illic famulosne requiras:
Tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.
Ergo ubi caelicolae parvos tetigere penates
Summissoque humiles intrarunt vertice postes,
Membra senex posito iussit relevare sedili;
Cui superiniecit textum rude sedula Baucis.
Inque foco tepidum cinerem dimovit et ignes
Suscitat hesternos foliisque et cortice sicco
Nutrit et ad flammas anima producit anili
...
Interea medias fallunt sermonibus horas
. . .

Parva mora est, epulasque foci misere calentes,
Nec longae rursus referuntur vina senectae
Dantque locum mensis paulum seducta secundis:
. . .
'Interea totiens haustum cratera repleri

Sponte sua per seque vident succrescere vina:
Attoniti novitate pavent manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon
Et veniam dapibus nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimae custodia villae:
Quem dis hospitibus domini mactare parabant;



Philemon et Baucis, pictore Ioanne Bernardo **Restout** *(1732 – 1797)*

Ille celer penna tardos aetate fatigat
Eluditque diu tandemque est visus ad ipsos
Confugisse deos. Superi vetuere necari
"Di" que "sumus, meritasque luet vicinia poenas
Impia" dixerunt; "vobis inmunibus huius
Esse mali dabitur: modo vestra relinquite tecta
Ac nostros comitate gradus et in ardua montis
ite simul!" Parent ambo baculisque levati
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missa potest: flexere oculos et mersa palude
Cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere,
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
Illa vetus dominis etiam casa parva duobus
Vertitur in templum: …
...
Talia tum placido Saturnius edidit ore:
"Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto
Digna, quid optetis." Cum Baucide pauca locutus
Iudicium superis aperit commune Philemon:
"Esse sacerdotes delubraque vestra tueri
Poscimus, et quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem, nec coniugis umquam
Busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa."
Vota fides sequitur: templi tutela fuere,
Donec vita data est. Annis aevoque soluti
Ante gradus sacros cum starent forte locique
Narrarent casus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Iamque super geminos crescente cacumine vultus
Mutua, dum licuit, reddebant dicta "vale" que
"O coniunx" dixere simul, simul abdita texit
Ora frutex: ostendit adhuc Thyneius illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos.
Haec mihi non vani (neque erat, cur fallere vellent)
Narravere senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos ponensque recentia dixi
"Cura pii dis sunt, et, qui coluere, colantur."'

E decimo *Metamorphoseon* libro:

Pygmalion

… *sine coniuge caelebs*
Vivebat thalamique diu consorte carebat.


Interea niveum mira feliciter arte
Sculpsit ebur formamque dedit, qua femina nasci
Nulla potest, operisque sui concepit amorem.
Virginis est verae facies, quam vivere credas,
Et, si non obstet reverentia, velle moveri:
Ars adeo latet arte sua. Miratur et haurit
Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.



Pygmalio & Galatea, pictore Ernesto ***Normand*** (1857–1923)

Saepe manus operi tentantes admovet, an sit
Corpus an illud ebur, nec ebur tamen esse fatetur.
Oscula dat reddique putat loquiturque tenetque
Et credit tactis digitos insidere membris
Et metuit, pressos veniat ne livor in artus,
Et modo blanditias adhibet, modo grata puellis
Munera fert illi conchas teretesque lapillos
Et parvas volucres et flores mille colorum
Liliaque pictasque pilas et ab arbore lapsas
Heliadum lacrimas. Ornat quoque vestibus artus,
Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo,
Aure leves baccae, redimicula pectore pendent:
Cuncta decent; nec nuda minus formosa videtur.
Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis
Appellatque tori sociam acclinataque colla
Mollibus in plumis, tamquam sensura, reponit.
Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro
Venerat, et pandis inductae cornibus aurum
Conciderant ictae nivea cervice iuvencae,
Turaque fumabant, cum munere functus ad aras
Constitit et timide "si, di, dare cuncta potestis,
Sit coniunx, opto," non ausus "eburnea virgo"
Dicere, Pygmalion "similis mea" dixit "eburnae."
Sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,
Vota quid illa velint et amici numinis omen,
Flamma ter accensa est apicemque per aera duxit.
Ut rediit, simulacra suae petit ille puellae
Incumbensque toro dedit oscula: visa tepere est;
Admovet os iterum, manibus quoque pectora temptat:
Temptatum mollescit ebur positoque rigore
Subsidit digitis ceditque, ut Hymettia sole
Cera remollescit tractataque pollice multas
Flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.
Dum stupet et timide gaudet fallique veretur,
Rursus amans rursusque manu sua vota retractat.
Corpus erat! saliunt temptatae pollice venae.
Tum vero Paphius plenissima concipit heros

Verba, quibus Veneri grates agat, oraque tandem
Ore suo non falsa premit, dataque oscula virgo
Sensit et erubuit timidumque ad lumina lumen
Attollens pariter cum caelo vidit amantem.



Pygmalion & Galatea, pictore Ioanne Leone **Gérome** *(1824-1904)*

Coniugio, quod fecit, adest dea. Iamque coactis
Cornibus in plenum noviens lunaribus orbem
Illa Paphon genuit, de quo tenet insula nomen.

…

E decimo *Metamorphoseon* libro:

Orpheus et Eurydice

… nam nupta per herbas
Dum nova Naiadum turba comitata vagatur,
Occidit in talum serpentis dente recepto.
Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras
Deflevit vates, ne non temptaret et umbras,
Ad Styga Taenaria est ausus descendere porta
Perque leves populos simulacraque functa sepulcro
Persephonen adiit inamoenaque regna tenentem
Umbrarum dominum pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: 'o positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus, quicquid mortale creamur,
Si licet et falsi positis ambagibus oris
Vera loqui sinitis, non huc, ut opaca viderem
Tartara, descendi, nec uti villosa colubris
Terna Medusaei vincirem guttura monstri:
Causa viae est coniunx, in quam calcata venenum
Vipera diffudit crescentesque abstulit annos.
Posse pati volui nec me temptasse negabo:
Vicit Amor. supera deus hic bene notus in ora est;
An sit et hic, dubito: sed et hic tamen auguror esse,
Famaque si veteris non est mentita rapinae,
Vos quoque iunxit Amor. Per ego haec loca plena timoris,
Per Chaos hoc ingens vastique silentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata.
Omnia debemur vobis, paulumque morati
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, haec est domus ultima, vosque
Humani generis longissima regna tenetis.
Haec quoque, cum iustos matura peregerit annos,

Iuris erit vestri: pro munere poscimus usum;
Quodsi fata negant veniam pro coniuge, certum est
Nolle redire mihi: leto gaudete duorum.'
Talia dicentem nervosque ad verba moventem
Exsangues flebant animae; nec Tantalus undam
Captavit refugam, stupuitque Ixionis orbis,
Nec carpsere iecur volucres, urnisque vacarunt
Belides, inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tunc primum lacrimis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas, nec regia coniunx
Sustinet oranti nec, qui regit ima, negare,
Eurydicenque vocant: umbras erat illa recentes
Inter et incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros,
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas
Exierit valles; aut irrita dona futura.
Carpitur acclivis per muta silentia trames,
Arduus, obscurus, caligine densus opaca,
Nec procul afuerunt telluris margine summae:
Hic, ne deficeret, metuens avidusque videndi
Flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est,



Orpheus et Euridice, pictore Enrico ***Scuri*** *(1806-1884)*

Bracchiaque intendens prendique et prendere certans
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Iamque iterum moriens non est de coniuge quicquam
Questa suo (quid enim nisi se quereretur amatam?)
Supremumque 'vale,' quod iam vix auribus ille
Acciperet, dixit revolutaque rursus eodem est.

…

Hippomenes et Atalanta.

'"***Forsitan audieris aliquam certamine cursus***
Veloces superasse viros. Non fabula rumor
Ille fuit; superabat enim. Nec dicere posses,
Laude pedum formaene bono praestantior esset.
Scitanti deus huic de coniuge 'coniuge' dixit
'Nil opus est, Atalanta, tibi. Fuge coniugis usum!
Nec tamen effugies teque ipsa viva carebis.'
Territa sorte dei per opacas innuba silvas
Vivit et instantem turbam violenta procorum
Condicione fugat, 'nec sum potiunda, nisi' inquit
'Victa prius cursu. Pedibus contendite mecum:
Praemia veloci coniunx thalamique dabuntur,
Mors pretium tardis. Ea lex certaminis esto.'
Illa quidem immitis, sed (tanta potentia formae est)
Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes cursus spectator iniqui
Et 'petitur cuiquam per tanta pericula coniunx?'
Dixerat ac nimios iuvenum damnarat amores.

Ut faciem et posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si femina fias, [:Veneris verba quae, fabulam narrans, Adoni alloquitur]
Obstupuit tollensque manus 'ignoscite,' dixit
'Quos modo culpavi! nondum mihi praemia nota,
Quae peteretis, erant.' Laudando concipit ignes
Et, ne quis iuvenum currat velocius, optat
Invidiaque timet. 'Sed cur certaminis huius
Intemptata mihi fortuna relinquitur?' inquit
'Audentes deus ipse iuvat!' Dum talia secum
Exigit Hippomenes, passu volat alite virgo.
Quae quamquam Scythica non secius ire sagitta
Aonio visa est iuveni, tamen ille decorem
Miratur magis: et cursus facit ipse decorem.
...
Dum notat haec hospes, decursa novissima meta est,
Et tegitur festa victrix Atalanta corona.
Dant gemitum victi penduntque ex foedere poenas.
'"Non tamen eventu iuvenis deterritus horum
Constitit in medio vultuque in virgine fixo
'Quid facilem titulum superando quaeris inertes?
Mecum confer' ait. 'Seu me fortuna potentem
Fecerit, a tanto non indignabere vinci:
Namque mihi genitor Megareus Onchestius, illi
Est Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum,
Nec virtus citra genus est. Seu vincar, habebis
Hippomene victo magnum et memorabile nomen.'
Talia dicentem molli Schoeneia vultu
Aspicit et dubitat, superari an vincere malit,
Atque ita 'quis deus hunc formosis' inquit 'iniquus
Perdere vult caraeque iubet discrimine vitae
Coniugium petere hoc? Non sum, me iudice, tanti.
Nec forma tangor, (poteram tamen hac quoque tangi)
Quid, quod adhuc puer est? non me movet ipse, sed aetas.
Quid, quod inest virtus et mens interrita leti?
Quid, quod ab aequorea numeratur origine quartus?
Quid, quod amat tantique putat connubia nostra,
Ut pereat, si me fors illi dura negarit?
Dum licet, hospes, abi thalamosque relinque cruentos.
Coniugium crudele meum est, tibi nubere nulla
Nolet, et optari potes a sapiente puella.—
Cur tamen est mihi cura tui, tot iam ante peremptis?
Viderit! intereat, quoniam tot caede procorum
Admonitus non est agiturque in taedia vitae.—
Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum,
Indignamque necem pretium patietur amoris?
Non erit invidiae victoria nostra ferendae.
Sed non culpa mea est! utinam desistere velles,
Aut, quoniam es demens, utinam velocior esses!
At quam virgineus puerili vultus in ore est!
A! miser Hippomene, nollem tibi visa fuissem!
Vivere dignus eras. Quodsi felicior essem,
Nec mihi coniugium fata importuna negarent,
Unus eras, cum quo sociare cubilia vellem.'
Dixerat, utque rudis primoque cupidine tacta,
Quod facit, ignorans amat et non sentit amorem.
'"Iam solitos poscunt cursus populusque paterque,
Cum me sollicita proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes. 'Cytherea,' que 'comprecor, ausis
Adsit' ait 'nostris et quos dedit, adiuvet ignes.'
Detulit aura preces ad me non invida blandas:
Motaque sum, fateor, nec opis mora longa dabatur.
Est ager, indigenae Tamaseum nomine dicunt,
Telluris Cypriae pars optima, quem mihi prisci
Sacravere senes templisque accedere dotem
Hanc iussere meis. Medio nitet arbor in arvo,
Fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro:
Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu nullique videnda nisi ipsi
Hippomenen adii docuique, quis usus in illis.

Signa tubae dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat et summam celeri pede libat harenam:
Posse putes illos sicco freta radere passu
Et segetis canae stantes percurrere aristas.
Adiciunt animos iuveni clamorque favorque
Verbaque dicentum 'nunc, nunc incumbere tempus!
Hippomene, propera! nunc viribus utere totis!
Pelle moram: vinces!' Dubium, Megareius heros
Gaudeat an virgo magis his Schoeneia dictis.
O quotiens, cum iam posset transire, morata est
Spectatosque diu vultus invita reliquit!
Aridus e lasso veniebat anhelitus ore,
Metaque erat longe: tum denique de tribus unum
Fetibus arboreis proles Neptunia misit.
Obstipuit virgo nitidique cupidine pomi
Declinat cursus aurumque volubile tollit.



Atalanta et Hippomenes, pictore Guidone **Redi** *(1575-1642)*

Praeterit Hippomenes: resonant spectacula plausu.
Illa moram celeri cessataque tempora cursu
Corrigit atque iterum iuvenem post terga relinquit:
Et rursus pomi iactu remorata secundi
Consequitur transitque virum. Pars ultima cursus
Restabat. 'Nunc' inquit 'ades, dea muneris auctor!'
Inque latus campi, quo tardius illa rediret,
Iecit ab obliquo nitidum iuvenaliter aurum.
An peteret, virgo visa est dubitare. Coegi
Tollere et adieci sublato pondera malo
Impediique oneris pariter gravitate moraque,
Neve meus sermo cursu sit tardior ipso,
Praeterita est virgo. Duxit sua praemia victor.
"'Dignane, cui grates ageret, cui thuris honorem
Ferret, Adoni, fui? Nec grates immemor egit,
Nec mihi thura dedit. Subitam convertor in iram,
Contemptuque dolens, ne sim spernenda futuris,
Exemplo caveo meque ipsa exhortor in ambos.
Templa, deum Matri quae quondam clarus Echion
Fecerat ex voto, nemorosis abdita silvis,
Transibant, et iter longum requiescere suasit.
Illic concubitus intempestiva cupido
Occupat Hippomenen a numine concita nostro.
Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncae similis, nativo pumice tectus,
Religione sacer prisca, quo multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra deorum.
Hunc init et vetito temerat sacraria probro.
Sacra retorserunt oculos, turritaque Mater
An Stygia sontes dubitavit mergeret unda:
Poena levis visa est; ergo modo levia fulvae
Colla iubae velant, digiti curvantur in ungues,
Ex umeris armi fiunt, in pectora totum
Pondus abit, summae cauda verruntur harenae;
Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt,
Pro thalamis celebrant silvas aliisque timendi
Dente premunt domito Cybeleia frena leones.



Hos tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum,
Quod non terga fugae, sed pugnae pectora praebet,
Effuge, ne virtus tua sit damnosa duobus!"

E duodecimo *Metamorphoseon* libro:

Fama

Orbe locus medio est inter terrasque fretumque
Caelestesque plagas, triplicis confinia mundi;
Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures:
Fama tenet summaque domum sibi legit in arce,
Innumerosque aditus ac mille foramina tectis
Addidit et nullis inclusit limina portis;
Nocte dieque patent. Tota est ex aere sonanti,
Tota fremit vocesque refert iteratque quod audit;
Nulla quies intus nullaque silentia parte,
Nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis,
Qualia de pelagi, siquis procul audiat, undis
Esse solent, qualemve sonum, cum Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent: veniunt, leve vulgus, euntque
Mixtaque cum veris passim commenta vagantur
Milia rumorum confusaque verba volutant;
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
Crescit, et auditis aliquid novus adicit auctor.



Illic Credulitas, illic temerarius Error
Vanaque Laetitia est consternatique Timores
Seditioque repens dubioque auctore Susurri.
Ipsa, quid in caelo rerum pelagoque geratur
Et tellure, videt totumque inquirit in orbem.

...

Achillis mors



Achillis talus, auctore Ioanne Balthasare ***Probst*** *(1673-1750)*

Iam cinis est, et de tam magno restat Achille
Nescio quid parvam, quod non bene compleat urnam,
At vivit, totum quae gloria compleat orbem.
Haec illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides nec inania Tartara sentit.

E tertio decimo *Metamorphoseon* libro:

De immani Polyphemo amore Galateae capto.

Galatea rem omnem Scyllae narrat …

…

Hunc ego, me Cyclops nullo cum fine petebat.
Nec, si quaesieris, odium Cyclopis amorne
Acidis in nobis fuerit praesentior, edam:
Par utrimque fuit. Pro! quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! nempe ille immitis et ipsis
Horrendus silvis et visus ab hospite nullo
Impune et magni cum dis contemptor Olympi,
Quid sit amor, sentit nostrique cupidine captus
Uritur oblitus pecorum antrorumque suorum.
Iamque tibi formae, iamque est tibi cura placendi,
Iam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos,
Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam
Et spectare feros in aqua et componere vultus.
Caedis amor feritasque sitisque inmensa cruoris
cessant, et tutae veniuntque abeuntque carinae.
Telemus interea Siculam delatus ad Ætnen,
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit "lumen"que, "quod unum
Fronte geris media, rapiet tibi" dixit "Ulixes."
Risit et "o vatum stolidissime, falleris," inquit,
"Altera iam rapuit." Sic frustra vera monentem
Spernit et aut gradiens ingenti litora passu
degravat, aut fessus sub opaca revertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis (utrumque latus circumfluit aequoris unda):
huc ferus adscendit Cyclops mediusque resedit;

…



Acis & Galatea pictore Nicolao **Poussin** *(circa 1629-1630)*

…

Senserunt toti pastoria sibila montes,
Senserunt undae; latitans ego rupe meique
Acidis in gremio residens procul auribus hausi
Talia dicta meis auditaque mente notavi:

"Candidior folio nivei Galatea ligustri, 789
Floridior pratis, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lascivior haedo,
Llevior assiduo detritis aequore conchis,
Solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uva,
Mollior et cycni plumis et lacte coacto,
Et, si non fugias, riguo formosior horto.


Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,
Durior annosa quercu, fallacior undis,
Lentior et salicis virgis et vitibus albis,
His immobilior scopulis, violentior amne,
Laudato pavone superbior, acrior igni,
Asperior tribulis, feta truculentior ursa,
Surdior aequoribus, calcato immitior hydro,
Et, quod praecipue vellem tibi demere possem,
Non tantum cervo claris latratibus acto,
Verum etiam ventis volucrique fugacior aura,
(At bene si noris, pigeat fugisse, morasque
Ipsa tuas damnes et me retinere labores).
Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo
Antra, quibus nec Sol medio sentitur in aestu,
Nec sentitur hiems; sunt poma gravantia ramos,
Sunt auro similes longis in vitibus uvae,
Sunt et purpureae: tibi et has servamus et illas.
Ipsa tuis manibus silvestri nata sub umbra
Mollia fraga leges; ipsa autumnalia corna
Prunaque non solum nigro liventia suco,
Verum etiam generosa novasque imitantia ceras.
Nec tibi castaneae me coniuge, nec tibi deerunt
Arbutei fetus: omnis tibi serviet arbor.
Hoc pecus omne meum est, multae quoque vallibus errant,
Multas silva tegit, multae stabulantur in antris,
Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint:
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris, praesens potes ipsa videre,
Ut vix circumeant distentum cruribus uber.
Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni.
Sunt quoque, par aetas, aliis in ovilibus haedi.
Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda
Servatur, partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciae faciles vulgataque tantum
Munera contingent, damae leporesque capraeque,
Parve columbarum demptusve cacumine nidus:
Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis,

Villosae catulos in summis montibus ursae:
Inveni et 'dominae, dixi, servabimus istos.'
Iam modo, caeruleo nitidum caput exere ponto,
Iam, Galatea, veni, nec munera despice nostra!
Certe ego me novi liquidaeque in imagine vidi
Nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti.
Aspice, sim quantus: non est hoc corpore maior
Iuppiter in caelo, nam vos narrare soletis
Nescio quem regnare Iovem; coma plurima torvos
Prominet in vultus, umerosque, ut lucus, obumbrat;
Nec mihi quod rigidis horrent densissima setis
Corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbor,
Turpis equus, nisi colla iubae flaventia velent;
Pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est:
Barba viros hirtaeque decent in corpore setae.
Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clipei. Quid? Non haec omnia magnus
Sol videt e caelo? Soli tamen unicus orbis.
Adde, quod in vestro genitor meus aequore regnat:
Hunc tibi do socerum. Tantum miserere precesque
Supplicis exaudi! Tibi enim succumbimus uni,
Quique Iovem et caelum sperno et penetrabile fulmen,
Nerei, te vereor: tua fulmine saevior ira est. –
Atque ego contemptus essem patientior huius,
Si fugeres omnes; sed cur, Cyclope repulso,
Acin amas praefersque meis conplexibus Acin?
Ille tamen placeatque sibi placeatque licebit,
Quod nollem, Galatea, tibi; modo copia detur:
Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires!
Viscera viva traham divulsaque membra per agros
Perque tuas spargam (sic se tibi misceat!) undas.
Uror enim, laesusque exaestuat acrius ignis,
Cumque suis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo, nec tu, Galatea, moveris."
Talia nequiquam questus (nam cuncta videbam)
Surgit et ut taurus vacca furibundus adempta
Stare nequit silvaque et notis saltibus errat,
Cum ferus ignaros nec quicquam tale timentes
Me videt atque Acin "video" que exclamat "et ista
Ultima sit, faciam, Veneris concordia vestrae."
Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit: clamore perhorruit Ætne.
Ast ego vicino pavefacta sub aequore mergor;
Terga fugae dederat conversa Symaethius heros
Et "fer opem, Galatea, precor, mihi! ferte, parentes,"
Dixerat "et vestris periturum admittite regnis!"
Insequitur Cyclops partemque e monte revulsam
Mittit, et extremus quamvis pervenit ad illum
angulus e saxo, totum tamen obruit Acin.
…

E quarto decimo *Metamorphoseon* libro:

Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris 320
rex fuit, utilium bello studiosus equorum;
…
ille suos dryadas Latiis in montibus ortas 326
verterat in vultus, illum fontana petebant
numina, Naiades,
…
… spretis tamen omnibus unam 332
ille fovet nymphen, quam quondam in colle Palati
dicitur ancipiti peperisse Venilia Iano.
haec ubi nubilibus primum maturuit annis, 335
praeposito cunctis Laurenti tradita Pico est,
rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
unde Canens dicta est: silvas et saxa movere
et mulcere feras et flumina longa morari

ore suo volucresque vagas retinere solebat.
quae dum feminea modulatur carmina voce,
exierat tecto Laurentes Picus in agros
indigenas fixurus apros tergumque premebat
acris equi laevaque hastilia bina ferebat
poeniceam fulvo chlamydem contractus ab auro.
Venerat in silvas et filia Solis easdem,
utque novas legeret fecundis collibus herbas,
nomine dicta suo Circaea reliquerat arva.
quae simul ac iuvenem virgultis abdita vidit,
obstupuit: cecidere manu, quas legerat, herbae,
flammaque per totas visa est errare medullas.
ut primum valido mentem collegit ab aestu,
quid cuperet, fassura fuit. Ne posset adire,
cursus equi fecit circumfususque satelles.
'non' ait 'effugies, vento rapiare licebit,
si modo me novi, si non evanuit omnis
herbarum virtus, nec me mea carmina fallunt.'
dixit et effigiem nullo cum corpore falsi
fingit apri praeterque oculos transcurrere regis
iussit et in densum trabibus nemus ire videri,
plurima qua silva est et equo loca pervia non sunt.
Haut mora, continuo praedae petit inscius umbram
Picus equique celer fumantia terga relinquit
spemque sequens vanam silva pedes errat in alta.
concipit illa preces et verba venefica dicit
ignotosque deos ignoto carmine adorat,
quo solet et niveae vultum confundere Lunae
et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
Tum quoque cantato densatur carmine caelum
et nebulas exhalat humus, caecisque vagantur
limitibus comites, et abest custodia regis.
Nacta locum tempusque 'per o, tua lumina,' dixit
'quae mea ceperunt, perque hanc, pulcherrime, formam,
quae facit, ut supplex tibi sim dea, consule nostris
ignibus et socerum, qui pervidet omnia, Solem
accipe nec durus Titanida despice Circen.'
Dixerat; ille ferox ipsamque precesque repellit
et 'quaecumque es,' ait 'non sum tuus; altera captum
me tenet et teneat per longum, comprecor, aevum,
nec Venere externa socialia foedera laedam,
dum mihi Ianigenam servabunt fata Canentem.'
saepe retentatis precibus Titania frustra
'non impune feres, neque' ait 'reddere Canenti,
laesaque quid faciat, quid amans, quid femina, disces
rebus; at est et amans et laesa et femina Circe!'
tum bis ad occasus, bis se convertit ad ortus,
ter iuvenem baculo tetigit, tria carmina dixit.



Picus in avem a Circe transformatur, pictore Ioanne Villelmo ***Baur*** *(1607-1640)*

Ille fugit, sed se solito velocius ipse
currere miratur: pennas in corpore vidit,
seque novam subito Latiis accedere silvis
indignatus avem duro fera robora rostro
figit et iratus longis dat vulnera ramis;
purpureum chlamydis pennae traxere colorem;

fibula quod fuerat vestemque momorderat aurum,
pluma fit, et fulvo cervix praecingitur auro,
nec quicquam antiquum Pico nisi nomina restat.

E quinto decimo *Metamorphoseon* libro:

Pythagoras

…***primusque animalia mensis***
Arguit imponi, primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita, verbis:
'Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora! Sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo tumidaeque in vitibus uvae,
Sunt herbae dulces, sunt quae mitescere flamma
Mollirique queant. Nec vobis lacteus umor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit atque epulas sine caede et sanguine praebet.
Carne ferae sedant ieiunia, nec tamen omnes:
Quippe equus et pecudes armentaque gramine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque ferumque,
Armeniae tigres iracundique leones
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu quantum scelus est in viscera viscera condi
Ingestoque avidum pinguescere corpore corpus
Alteriusque animans animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas, optima matrum,
Terra parit, nil te nisi tristia mandere saevo
Vulnera dente iuvat ritusque referre Cyclopum,
Nec, nisi perdideris alium, placare voracis
Et male morati poteris ieiunia ventris?
At vetus illa aetas, cui fecimus Aurea nomen,
Fetibus arboreis et, quas humus educat, herbis
Fortunata fuit nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutae movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo:
Cuncta sine insidiis nullamque timentia fraudem
Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
Victibus invidit, quisquis fuit ille, priorum,
Corporeasque dapes avidum demersit in alvum,
Fecit iter sceleri, primaque e caede ferarum
Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum:
(Idque satis fuerat), nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur:
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.

…

'O genus attonitum gelidae formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras et nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsi terricula mundi?
Corpora, sive rogus flamma seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis!
Morte carent animae semperque priore relicta
Sede novis domibus vivunt habitantque receptae:
…
Omnia mutantur, nihil interit: errat et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
Spiritus eque feris humana in corpora transit
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo,
Utque novis facilis signatur cera figuris
Nec manet ut fuerat nec formam servat eandem,
Sed tamen ipsa eadem est, animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas caede nefanda

Exturbare animas, nec sanguine sanguis alatur!
'Et quoniam magno feror aequore plenaque ventis
Vela dedi: nihil est toto, quod perstet, in orbe.
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago;
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen
Nec levis hora potest: sed ut unda inpellitur unda
Urgeturque prior veniente urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter pariterque sequuntur
Et nova sunt semper; nam quod fuit ante, relictum est,
Fitque, quod haut fuerat, momentaque cuncta novantur.
…


Tempus edax rerum, pictore Hermanno Posthumo 1536

'Nostra quoque ipsorum semper requieque sine ulla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusve sumusve,
Cras erimus; …
Tempus edax rerum, tuque, invidiosa vetustas,
Omnia destruitis vitiataque dentibus aevi
Paulatim lenta consumitis omnia morte!
…
Nec perit in toto quicquam, mihi credite, mundo,
Sed variat faciemque novat, nascique vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante, morique
Desinere illud idem. Cum sint huc forsitan illa,
Haec translata illuc, summa tamen omnia constant.
'Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim: sic ad ferrum venistis ab auro,
Saecula, sic totiens versa est fortuna locorum.

…

Talibus hanc genitor: 'sola insuperabile Fatum,
Nata, movere paras? intres licet ipsa sororum
Tecta trium: cernes illic molimine vasto
Ex aere et solido rerum tabularia ferro,


A Golden Thread (aureum filum), pictore Johanne Strudwick, 1885

Quae neque concursum caeli neque fulminis iram
Nec metuunt ullas tuta atque aeterna ruinas.

61. …
62. …
63. …
64. …
65. Phaedri fabulas Aesopicas nonnullas, temporis decursu, hic descripturus sum:

-E primo libro:

Fabula prima

Lupus et agnus

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant,
siti compulsi. Superior stabat lupus,
longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
latro incitatus iurgii causam intulit;
'Cur' inquit 'turbulentam fecisti mihi
aquam bibenti?' Laniger contra timens
'Qui possum, quaeso, facere quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor'.
Repulsus ille veritatis viribus
'Ante hos sex menses male' ait 'dixisti mihi'.
Respondit agnus 'Equidem natus non eram'.
'Pater hercle tuus' ille inquit 'male dixit mihi';
atque ita correptum lacerat iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula
qui fictis causis innocentes opprimunt.

Fabula secunda:

Ranae Regem Petunt

Athenae cum florerent aequis legibus,
procax libertas civitatem miscuit,
frenumque solvit pristinum licentia.
Hic conspiratis factionum partibus
arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem servitutem flerent Attici,
non quia crudelis ille, sed quoniam grave
omne insuetis onus, et coepissent queri,
Aesopus talem tum fabellam rettulit.
'Ranae, vagantes liberis paludibus,
clamore magno regem petiere ab Iove,
qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater deorum risit atque illis dedit
parvum tigillum, missum quod subito vadi
motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
forte una tacite profert e stagno caput,
et explorato rege cunctas evocat.
Illae timore posito certatim adnatant,
lignumque supra turba petulans insilit.
Quod cum inquinassent omni contumelia,
alium rogantes regem misere ad Iovem,
inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
corripere coepit singulas. Frustra necem
fugitant inertes; vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
adflictis ut succurrat. Tunc contra Tonans
"Quia noluistis vestrum ferre" inquit "bonum,
malum perferte". Vos quoque, o cives,' ait
'hoc sustinete, maius ne veniat, malum'.

…

Fabula quarta

Canis per Fluvium Carnem Ferens

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.
Canis, per fluvium carnem cum ferret, natans
lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
aliamque praedam ab altero ferri putans
eripere voluit; verum decepta aviditas

et quem tenebat ore dimisit cibum,
nec quem petebat adeo potuit tangere.

…

Fabula quinta

De sociis leonis

Numquam est fidelis cum potenti societas
Testatur haec fabella propositum meum:

Vacca et capella et patiens ovis iniuriae
socii fuere cum leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
sic est locutus, partibus factis, leo:
"Ego primam tollo, nominor quia 'rex Leo';
secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
tum, quia plus valeo, me sequetur tertia
-malo afficietur si quis quartam tetigerit!"
Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

…

Fabula VII
De vulpe et persona inani

Personam tragicam forte vulpes viderat:
"O quanta species!" inquit, "cerebrum non habet!"
Hoc illis dictum est quibus honorem et gloriam
fortuna tribuit –sensum communem abstulit.

…

Fabula XII
Cervus ad Fontem

(cf. editionem quam, via Ørbergiana insistens, feci)

Laudatis utiliora quae contempseris,
saepe inveniri testis haec narratio est.
Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit,
et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua
crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
venantum subito vocibus conterritus,
per campum fugere coepit, et cursu levi
canes elusit. Silva tum excepit ferum;
in qua retentis impeditus cornibus
lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tum moriens edidisse vocem hanc dicitur:
'O me infelicem, qui nunc demum intellego,
utilia mihi quam fuerint quae despexeram,
et, quae laudaram, quantum luctus habuerint'.

…
Fabula XIII
De corvo stupido

Cum de fenestra corvus raptum caseum
comesse vellet, celsa residens arbore,
vulpes hunc vidit, deinde sic coepit loqui:
"O, qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
Quantum decorem corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret!"
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
emisit ore caseum, quem celeriter
dolosa vulpes avidis rapuit dentibus!
Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.

…

Fabula XXIV

Rana rupta et bos

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

In prato quondam rana conspexit bovem
et tacta invidia tantae magnitudinis
rugosam inflavit pellem.
Tum natos suos
interrogavit 'an bove esset latior'?
Illi negarunt.
Rursus intendit cutem
maiore nisu, et simili quaesivit modo
'quis maior esset'?
Illi dixerunt 'bovem'.
Novissime indignata, dum vult validius
inflare sese, rupto iacuit corpore!

E libro tertio:

Fabula VII

De lupo macro et cane perpasto.

Quam dulcis sit libertas breviter proloquar:

Cani perpasto macie confectus lupus
forte occurrit; dein, salutati inuicem
ut restiterunt, " Vnde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame."
Canis simpliciter: "Eadem est condicio tibi,
praestare domino si par officium potes."
"Quod?" inquit ille. "Custos ut sis liminis,
a furibus tuearis et noctu domum.
Adfertur ultro panis; de mensa sua
dat ossa dominus; frusta iactat familia,
et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore uenter impletur meus."
"Ego uero sum paratus: nunc patior niues
imbresque in siluis asperam uitam trahens.
Quanto est facilius mihi sub tecto uiuere,
et otiosum largo satiari cibo!"
"Veni ergo mecum." Dum procedunt, aspicit
lupus a catena collum detritum cani.
"Vnde hoc, amice?" "Nil est." "Dic, sodes, tamen."
"Quia uideor acer, alligant me interdiu,
luce ut quiescam, et uigilem nox cum uenerit:
crepusculo solutus qua uisum est uagor."
"Age, abire si quo est animus, est licentia?"
"Non plane est" inquit. "Fruere quae laudas, canis;
regnare nolo, liber ut non sim mihi."

E libro quarto:

Fabula IV

De vulpe et uva

Fame coacta vulpes alta in vinea
uvam adpetebat, summis saliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
"Nondum matura es; nolo acerbam sumere."
Qui, facere quae non possunt, verbis elevant,
adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

66. …
67. …
68. …
69. …
70. …
71. …
72. …
73. …
74. …
75. Initium dialogi cuius inscriptio est *De Providentia*:

'Quare multa bonis uiris aduersa eueniunt?' Nihil accidere bono uiro mali potest: non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne deiectorum imbrium, tanta medicatorum uis fontium non mutant saporem maris, ne remittunt quidem, ita aduersarum impetus rerum uiri fortis non uertit animum: manet in statu et quidquid euenit in suum colorem trahit; est enim omnibus externis potentior. Nec hoc dico, non sentit illa, sed uincit, et alioqui quietus placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa exercitationes putat. Quis autem, uir modo et erectus ad honesta, non est laboris adpetens iusti et ad officia cum periculo promptus? Cui non industrio otium poena est? Athletas uidemus, quibus uirium cura est, cum fortissimis quibusque confligere et exigere ab iis per quos certamini praeparantur ut totis contra ipsos uiribus utantur; caedi se uexarique patiuntur et, si non inueniunt singulos pares, pluribus simul obiciuntur. Marcet sine aduersario uirtus: tunc apparet quanta sit quantumque polleat, cum quid possit patientia ostendit. Scias licet idem uiris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident nec de fato querantur, quidquid accidit boni consulant, in bonum uertant; non quid sed quemadmodum feras interest. Non uides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis et interdum lacrimas excutiunt; at matres fouere in sinu, continere in umbra uolunt, numquam contristari, numquam flere, numquam laborare. Patrium deus habet aduersus bonos uiros animum et illos fortiter amat et 'operibus' inquit 'doloribus damnis exagitentur, ut uerum colligant robur.' Languent per inertiam saginata nec labore tantum sed motu et ipso sui onere deficiunt. Non fert ullum ictum inlaesa felicitas; at cui adsidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit nec ulli malo cedit, sed etiam si cecidit de genu pugnat.

- Epistula ad Lucilium de ratione legendi:

Ex iis quae mihi scribis et ex iis quae audio bonam spem de te concipio: non discurris nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi ista iactatio est: primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari. Illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias; idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur; nihil aeque sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta temptantur; non convalescit planta quae saepe transfertur; nihil tam utile est ut in transitu prosit. Distringit librorum multitudo; itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas. 'Sed modo' inquis 'hunc librum evolvere volo, modo illum.' Fastidientis stomachi est multa degustare; quae ubi varia sunt et diversa, inquinant non alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios deverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxili compara, nec minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurreris, unum excerpe quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio; ex pluribus quae legi aliquid apprehendo. Hodiernum hoc est quod apud Epicurum nanctus sum - soleo enim et in aliena castra transire, non tamquam transfuga, sed tamquam explorator -: 'honesta' inquit 'res est laeta paupertas'. Illa vero non est paupertas, si laeta est; non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita sed acquirenda computat? Quis sit divitiarum modus quaeris? primus habere quod necesse est, proximus quod sat est. Vale.

- Locus excerptus ex opere cuius inscriptio est *De otio* :

Duas res publicas animo complectamur, alteram magnam et vere publicam qua di atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus aut ad illum sed terminos civitatis nostrae cum sole metimur, alteram cui nos adscripsit condicio nascendi; haec aut Atheniensium erit aut Carthaginiensium aut alterius alicuius urbis quae non ad omnis pertineat homines sed ad certos. Quidam eodem tempore utrique rei publicae dant operam, maiori minorique, quidam tantum minori, quidam tantum maiori.2. Huic maiori rei publicae et in otio deservire possumus, immo vero nescio an in otio melius, ut quaeramus quid sit virtus, una pluresne sint, natura an ars bonos viros faciat; unum sit hoc quod maria terrasque et mari ac terris inserta complectitur, an multa eiusmodi corpora deus sparserit; continua sit omnis et plena materia ex qua cuncta gignuntur, an diducta et solidis inane permixtum; quae sit dei sedes, opus suum spectet an tractet, utrumne extrinsecus illi circumfusus sit an toti inditus; inmortalis sit mundus an inter caduca et ad tempus nata numerandus. Haec qui contemplatur, quid deo praestat? ne tanta eius opera sine teste sint.

76. …
77. …
78. …
79. …
80. …
81. …
82. …
83. …
84. …
85. …
86. …
87. …
88. …

89. …

90. Epigrammata, quae temporis decursu hic exscribentur:

E libro primo

(XVI)

Ad Iulium

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,
Si quid longa fides castaque iura valent,
Bis iam paene tibi consul tricensimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris videas quae posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Expectant curaeque catenatique labores,
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Haec utraque manu conplexuque adsere toto:
Saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere 'Vivam':
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.

(XLVIII)

De Diaulo medico

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:
quod vespillo facit, fecerat et medicus.

(XXXVII)

Ad Bassam

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Basse, bibis vitro: carius ergo cacas.

(XXXVIII)

Ad Fidentinum

Quem recitas meus est, o Fidentine, libellus:
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

91. …
92. …
93. …
94. …
95. …
96. …
97. …
98. …
99. …
100. …
101. …
102. …
103. …
104. …
105. …
106. …
107. …
108. …
109. …
110. …
111. …
112. …
113. …
114. …
115. …
116. …
117. …
118. …
119. …
120. …
121. …
122. …
123. …
124. …
125. …
126. …
127. …
128. …
129. …
130. …
131. …
132. …
133. …
134. …
135. …
136. …
137. …
138. …
139. …
140. …
141. …
142. …
143. …
144. …

145. …
146. …
147. …
148. …
149. …
150. …
151. …
152. …
153. …
154. …
155. …
156. …
157. …
158. …
159. …
160. …
161. …
162. …
163. …
164. …
165. …
166. …
167. …
168. …
169. …
170. …
171. …
172. …
173. …
174. …
175. …
176. …
177. …
178. …
179. …
180. …
181. …
182. …
183. …
184. …
185. …
186. …
187. …
188. …
189. …
190. …
191. …
192. …
193. …
194. …
195. …
196. …
197. …
198. …
199. …
200. …
201. …
202. …
203. …
204. …
205. …
206. …
207. …
208. …
209. …
210. …
211. …
212. …
213. …
214. …
215. …
216. …
217. …
218. …
219. …
220. …
221. …
222. …
223. …
224. …
225. …
226. …
227. …
228. …
229. …
230. …
231. …
232. …
233. …
234. …
235. …
236. …
237. …
238. …
239. …
240. …
241. …
242. …
243. …
244. …
245. …
246. …
247. …
248. …
249. …
250. …
251. …
252. …
253. …
254. …
255. …
256. …
257. …
258. …
259. …
260. Initium carminis cui index *De contemptu mundi*:

Hora novissima, tempora pessima sunt? vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus.
Imminet imminet ut mala terminet, aequa coronet,
Recta remuneret, anxia liberet, aethera donet.
Auferat aspera duraque pondera mentis onustae,
Sobria muniat, improba puniat, utraque iuste.
Ille piissimus, ille gravissimus ecce venit rex.
Surgat homo reus; instat homo deus, a patre iudex.
Surgite, currite simplice tramite, quique potestis;
Rex venit ocius ipseque conscius, ipseque testis

…

261. …
262. …
263. …
264. …
265. …
266. …
267. …
268. …
269. …
270. …
271. …
272. …
273. …
274. …
275. …
276. …
277. …
278. …
279. …
280. …
281. …
282. …
283. …
284. …
285. …
286. …
287. …
288. …
289. …
290. …
291. …
292. …
293. …
294. …
295. …
296. …
297. …
298. …
299. …
300. …
301. …
302. …
303. …
304. …
305. …
306. …
307. …
308. …
309. …
310. …
311. …
312. …
313. …
314. …
315. Francisci Petrarcae litterae ad discipulum missae quibus quid de hac vita mortali sentiat uberrima exponit facundia:

> ***"Quid mihi de hac vita, quam degimus, videatur, interrogas. Neque immerito. Multae enim et variae de hac ipsa opiniones hominum sunt: meam brevibus accipe. Videtur mihi vita haec dura quaedam area laborum, palaestra discriminum, scena fallaciarum, labyrinthus errorum, circulatorum ludus, desertum horribile, limosa palus, siticulosa regio, vallis hispida, mons praeruptus, caligantes speluncae, habitatio ferarum, terra infelix, campus lapidosus, vepricosum nemus, pratum herbidum plenumque serpentibus, florens hortus ac sterilis, fons curarum, fluvius lacrimarum, mare miseriarum, quies anxia, labor inefficax, conatus irritus, grata phrenesis, pondus infaustum, dulce virus, degener metus, inconsulta securitas, vana spes, ficta fabula, falsa laetitia, verus dolor, risus inconditus, fletus inutilis, inane suspirium, confusus ordo, tumultuosa confusio, trepidatio turbulenta, solicitudo perpetua, insomnis inertia, inops copia, dives inopia, imbecilla potentia, tremulae vires, aegra sanitas, iugis morbus, gemina aegritudo, pulchra deformitas, honor inglorius, infames tituli, ridiculus ambitus, ima elatio, excellentia fictilis, humilis altitudo, fusca claritas, ignota nobilitas, pertusus sacculus, vas rimosum, specus inexplebile, cupiditas infinita, damnosum desiderium, luxus hydropicus, sitis insatiabilis, aridum fastidium, famelica nausea, ventosa prosperitas, querula semper adversitas, viror transitorius, flos caducus, amoenitas labilis, fugax forma, moestum gaudium, amara dulcedo, voluptas aculeosa, stulta sapientia, caeca prudentia, tetra domus, breve diversorium, foedus carcer, sine gubernaculo navigatio, sine baculo senectus, sine freno iuventus, sine duce caecitas, iter lubricum, tecta fovea, latens praecipitium, silens lima, tenax viscus, operti laquei, abdita retia, inescati hami, sentes asperi, lappae haerentes, tribuli acuti, scopuli rigentes, venti rapidi, fluctus impetuosi, atri turbines, horrisonae tempestates, procellosum pelagus, vadosa litora, anceps portus, exarmata navis, immane naufragium, officina scelerum, sentina libidinum, caminus irarum, puteus odiorum, catena consuetudinum, Sirenum cantus, Circaea pocula, mundi vincula, rerum unci, conscientiae morsus, poenitentiae stimuli, peccatorum incendia, putre aedificium, fundamentum fragile, muri hiantes, tecta labentia, prolixa brevitas, latae angustiae, calles inexplicabiles, passus impliciti, circulorum motus, statio instabilis, rota volubilis, manens cursus, scabra levitas, scrupulosa suavitas, blanda crudelitas, dolosae blanditiae, fallax amicitia, concors discordia, foedifragae induciae, bellum inexorabile, pax infida, simulata virtus, excusata nequitia, laudata fraus, honoratum dedecus, irrisa simplicitas et contempta fides, nugae seriae, ingeniosa dementia, loquax torpor, velata ignorantia, opinio scientiae tumida, scientia vero nulla, querelarum suspiria, contentionum strepitus, vulgi fragor, obliviosa peregrinatio, patriae odium, amor exilii, lemurum civitas atque larvarum, daemonum regnum, Luciferi principatus (sic enim Principem mundi huius Veritas vocat), vita daemonum mendax et exanimis, spirans mors, segnis incuriositas sui ipsius, inutilium cura, apparendi studium, supervacui appetitus, operosus vermium apparatus, viventium infernus et vivorum corporum divites exequiae, longum funus, pomposa vanitas, laboriosa militia, periculosa tentatio, superba miseria, miseranda felicitas. En, amice, qualis mihi haec videtur, quae tam multis exoptatissima ac gratissima vita est, necdum tamen conceptum omnem meae mentis expressi: peior enim est multo miseria quam a me seu quocumque hominum dici possit. Sed quo es ingenio, ex his paucis totum, reor, animum loquentis introspicis. Unum tot in malis habe bonum, quod ad bonam et aeternam vitam, nisi dexter trames deseratur, via est. Vale"***

316. …
317. …
318. …
319. …
320. …
321. …
322. …
323. …
324. …
325. …
326. …


327. …
328. …
329. …
330. …
331. ***In omnibus requiem quaesivi, et nusquam inveni nisi in angulo cum libro*.**
332. …
333. …
334. …
335. …
336. …
337. …
338. …
339. …
340. …
341. …
342. …
343. …
344. …
345. …
346. …
347. …
348. …
349. …
350. …
351. …
352. …
353. …
354. …
355. …
356. …
357. …
358. …
359. …
360. …
361. …
362. …
363. …
364. …
365. …
366. …
367. …
368. …
369. …
370. …
371. …
372. …
373. …
374. …
375. …
376. …
377. …
378. …
379. …
380. …
381. …
382. …
383. …
384. …
385. …
386. …
387. …
388. …
389. …
390. …
391. …
392. …
393. …
394. …
395. …
396. …
397. …
398. …
399. …
400. …
401. …
402. …
403. …
404. …
405. …
406. …
407. …
408. …
409. …
410. Excerpta aliquot e Pici Mirandulensis carmine ***ad Galeotum fratrem militantem quod, ut ille sub Marte, ita ipse sub Cupidine mereat:***

…

Nos quoque militiae certo sub iure tenemur,
sit melior quamvis sors mea sorte tua.
tu sequeris Martem, sequor ipse Cupidinis arma,
aspera bella geris, mitia bella gero.
tu petis armatos hostes validasque cohortes,
imbellis petitur nudaque nympha mihi.
aeratas frangit fortis tibi machina portas,
sed mihi vel sola ianua voce patet.
est vi cura tibi longas avertere praedas,
obvia fit votis sponte puella meis.
tu cuneis hostes et coeco tramite fallis,
fallitur at nullis fraudibus illa mihi.
pulsa tuos persoepe fugat tuba bellica somnos,
invitant somnos fila canora meos.
tu dura requiescis humo, si, Pice, quiescit,
collidit nudo qui sua membra solo.
fragrat Oronteo lectus mihi fusus amomo,
me tenet in tenero mollis amica sinu,
nulla tibi rapidos pellunt umbracula soles,
defendit dominae me stola tensa meae.
quin etiam medio cum sol desaevit Olympo,
cogeris intrepido bella subire pede.
me iuvat argutum cantare sub arbore carmen,

cuius odoratas ventilet aura comas.

411. Disticha a Cassandra composita quae ipsa sub effigiem suam ab Iano Bellinio pictam ascribi voluit:



Calcavi quae omnes optant, meliora secuta
Iam celebris passim docta per ora vagor
Bellinusque minor me priscis aemulus arte
***Et vivis studio rettulit effigie*.**

(N.B. Cassandrae fragmenta, praefixa eorum brevi explanatione, in locis inveniuntur quos doctissima mulier, Paula Marongiu nomine, peropportune attulit in oratione quam, occasione conventus ***Monumenta viaeque*** nuncupati, habuit hoc sub indice: *Quid Cassandra Fidelis de studiis humanitatis senserit*. Quae quidem omnia hoc in florilegio exscribenda statui.)

Etenim, Paula Marongiu de Cassandra Fideli haecce summatim exposuit:

Cassandra Fidelis Veneta (1465-1558), disciplinis secundum rationem studiorum humanistarum, in primis Latina et Graeca lingua optime instituta, doctrina sua in summam gloriam venit, epistularum commercia cum clarissimis viris doctis, cum regibus et principibus habuit, neque tamen valuit proprie vereque humanistria evadere, id est docere et munere suo se sustentare. Eius manent CXXIII epistulae (nonnullae aliorum) et III orationes quae editione saeculi XVII servantur. Ex hoc opere trahentur loci legendi et explicandi in seminario, quod quidem hoc modo dividetur; a) Pauca verba de feminis quae humanas litteras aetate renascentium artium
coluerunt; b) Summarium vitae Cassandrae; c) Studia humanitatis bonis corporis anteponenda sunt quod tantum illa sunt mansura atque homines populosque educant (Oratio pro Bertucio Lamberto et Oratio de laudibus litterarum); d) Quae sit feminae doctae condicio aetate qua litterae renatae sunt (Epistula CXI Cassandra Fidelis Alexandrae Scalae, Coniugiumne a femina erudita studiis praeferendum); e) Quo modo viri docti feminas doctas iudicent (Epistulae CI et CIV Angelus Politianus Cassandrae Fideli). Ex his paginis exstat illa aetate nonnullas feminas fuisse quae penitus in studia incumberent et propterea magni aestimarentur multumque laudarentur, attamen quasi monstra haberentur.

- Studia humanitatis bonis corporis sunt anteponenda:

Ubi Roma illa barbarorum domitrix, Graecorumque imperatrix? Omnia sane defloruerunt. Mors terribilis cuncta fugacia prosequitur. Quae autem virtute, ingenio comparantur, posteris usui sunt. …
***Oratione enim bestiis homines praestant. Quid autem tam incultum, tam horridum, tam obscurum, tam sordidum, quod non elaborata oratione splendescat et tamquam excolatur? Quid eloquentia laudabilius, praestabilius est, vel admiratione audientium vel spe indigentium vel eorum qui defensi sin gratia? Nihil porro tam incredibile, tam difficile, quod non dicendo probabile et facile fiat. Civitates autem et principes, qui haec studia fovent et colunt, quanto fiunt humaniores, gratiores, nobiliores? Ea sane de causa suavissimum sibi humanitatis nomen vendicavit haec philosophiae pars, quoniam ii, qui ingenio agresti sunt, his studiis civiliores multoque mitiores fiunt*.**

- De laudibus litterarum oratio:

***Excogitantem, serenissime princeps, patres conscripti ac disertissimi viri, quid assidua studiorum maceratio femellis conduceret, Georgius Valla, summus et orator et philosophus cum me sua praesentia dignam arbitraretur firmavit atque hortatus est iis studiis immortalitatem assecuturam. Ipsi quidem suadenti atque vehementer instanti ut in lucem prodirem, etsi feminei sexus, et ingenioli mei haud immemor sim, honesta tamen efflagitanti rubore perfusa parere, atque morem gerere constitui, ut cum ignobile vulgus suimet pudeat, tum etiam mihi ingenuis artibus deditae molestum esse desinat*.**
…
etsi litterarum studia nulla feminis praemia nullamque dignitatem pollicerentur atque praestarent, fuisse tamen cuique capessenda amplectendaque, ob eam solam voluptatem ac delectationem…

- Quae sit feminae doctae condicio aetate qua litterae renatae sunt.

Invictissimae Isabellae Reginae Siciliae Cassandra Fidelis suum adventum condicit:

Relinquam ergo propinquos, affines ac dulcissimam patriam: haec omnia praetermittam, ut felicitate iam diu exoptata sub umbra alarum tuarum perfrui valeam. Duo quippe in hac vita me immortalem ac beatam reddere posse arbitror. Alterum litterarum suave ac liberale otium, cui a tenella aetate perpetuo me dedicaram; alterum autem animum mentemque meam totam me denique tibi unice tradidisse, ut coram fortitudinem tuam ceterasque immensas virtutes contempler atque admirer. Qua ex admiratione omnium virtutum connexio in tuo unico pectore sedeant.

- Alexandrae Scalae Cassandra Fidelis coniugiumne a femina erudita studiis praeferendum:

Ex tuis ornatissimis litteris id perspeximus, quod nobis fuit periucundum, te nostram haud vulgarem benevolentiam iudicasse, cum tua omnia me non modo cognoscere voluisti, verum me de iisdem consulere. Mea itaque Alexandra, utrum Musis an viro te dedas ancipitem esse; id tibi de hac re eligendum censeo, ad quod te magis proclivem natura constituit. Nam omne consilium quod recipitur pro recipientis facilitate recipi asserit Plato. Quod quidem tibi erit perfacile factu.

412. …
413. …
414. …
415. …
416. …
417. …
418. …
419. …
420. Loci excerpti ex Erasmi Roterodami operibus:

Ex epistulis eius:

- **Ad Thomam Morum de elucubranda Stultitiae declamatione**:

Erasmus Rot. Thomae Moro suo s. d.

Superioribus diebus cum me ex Italia in Angliam recepissem, ne totum hoc tempus quo equo fuit insidendum amusois et illitteratis fabulis tereretur, malui mecum aliquoties uel de communibus studiis nostris aliquid agitare, uel amicorum, quos hic ut doctissimos ita et suauissimos reliqueram, recordatione frui. Inter hos tu, mi More, uel in primis occurrebas; cuius equidem absentis absens memoria non aliter frui solebam quam presentis presens consuetudine consueueram; qua dispeream si quid unquam in uita contigit mellitius. Ergo quoniam omnino aliquid agendum duxi, et id tempus ad seriam commentationem parum uidebatur accommodatum, uisum est Moriae Encomium ludere.

Que Pallas istuc tibi misit in mentem? inquies. Primum admonuit me Mori cognomen tibi gentile, quod tam ad Moriae uocabulum accedit quam es ipse a re alienus; es autem uel omnium suffragiis alienissimus. Deinde suspicabar hunc ingenii nostri lusum tibi precipue probatum iri, propterea quod soleas huius generis iocis, hoc est nec indoctis, ni fallor, nec usquequaque insulsis, impendio delectari, et omnino in communi mortalium uita Democritum quendam agere. Quanquam tu quidem, ut pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate longe lateque a uulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suauitate facilitateque cum omnibus omnium horarum hominem agere et potes et gaudes. Hanc igitur declamatiunculam non solum lubens accipies ceu mnemosunon tui sodalis, uerum etiam tuendam suscipies, utpote tibi dicatam iamque tuam non meam.

Etenim non deerunt fortasse uitilitigatores, qui calum nientur partim leuiores esse nugas quam ut theologum deceant, partim mordaciores quam ut Christiane conueniant modestie; nosque clamitabunt ueterem comediam aut Lucianum quempiam referre atque omnia mordicus arripere. Verum quos argumenti leuitas et ludicrum offendit, cogitent uelim non meum hoc exemplum esse, sed idem iam olim a magnis auctoribus factitatum; cum ante tot secula Batrachomuomachian luserit Homerus, Maro Culicem et Moretum, Nucem Ouidius; cum Busyriden laudarit Polycrates et huius castigator Isocrates, iniustitiam Glauco, Thersiten et quartanam febrim Fauorinus, caluitiem Synesius, muscam et parasiticam Lucianus; cum Seneca Claudii luserit apotheôsin, Plutarchus Grylli cum Ulysse dialogum, Lucianus et Apuleius Asinum, et nescio quis Grunnii Coro cottae porcelli testamentum, cuius et diuus meminit Hieronymus Proinde, si uidebitur, fingant isti me laterunculis in terim animi causa lusisse, aut si malint equitasse in arundine longa. Nam que tandem est iniquitas, cum omni uite insti tuto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permittere, maxime si nuge seria ducant, atque ita tractentur ludicra ut ex his aliquanto plus frugis referat lector non omnino naris obese, quam ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis? ueluti cum alius diu consarcinata oratione rhetoricen aut philosophiam laudat, alius principis alicuius laudes describit, alius ad bellum aduersus Turcas mouendum adhortatur, alius futura predicit. alius nouas de lana caprina comminiscitur questiunculas. Vt enim nihil nugacius quam seria nugatorie tractare, ita nihil festiuius quam ita tractare nugas ut nihil minus quam nugatus fuisse uidearis. De me quidem aliorum erit iudicium; tamet si, nisi plane me fallit philautia, Stulticiam laudauimus, sed non omnino stulte.

Iam uero ut de mordacitatis cauillatione respondeam, semper hec ingeniis libertas permissa fuit, ut in communem hominum uitam salibus luderent impune, modo ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admiror his temporibus aurium delicias que nihil iam fere nisi solennes titulos ferre possunt. Porro nonnullos adeo prepostere religiosos uideas, ut uel grauissima in Christum conuicia ferant citius quam pontificem aut principem leuissimo ioco aspergi, presertim si quid pros ta alphita id est ad questum, attinet. At enim qui uitas hominum ita taxat ut neminem omnino perstringat nominatim, queso utrum is mordere uidetur an docere potius ac monere? Alioqui quot obsecro nominibus ipse me taxo? Preterea qui nullum hominum genus pretermittit, is nulli homini, uiciis omnibus iratus uidetur. Ergo si

quis extiterit qui sese lesum clamabit, is aut conscientiam prodet suam aut certe metum. Lusit hoc in genere multo liberius ac mordacius diuus Hieronymus, ne nominibus quidem ali quoties parcens. Nos preterquam quod a nominibus in to tum abstinemus, ita preterea stilum temperauimus ut cordatus lector facile sit intellecturus nos uoluptatem magis quam morsum quesisse. Neque enim ad Iuuenalis exemplum occultam illam scelerum sentinam usquam mouimus, et ridenda magis quam foeda recensere studuimus. Tum si quis est quem nec ista placare possunt, is saltem illud meminerit, pulchrum esse a Stulticia uituperari; quam cum loquentem fecerimus, decoro persone seruiendum fuit. Sed quid ego hec tibi, patrono tam singulari ut causas etiam non optimas optime tamen tueri possis? Vale, disertissime More, et Moriam tuam gnauiter defende.

Ex Rure Quinto Idus Iunias, [AN. MDVII].

- **De periculoso itinere hiemali**:

Guilihelmo Montioio comiti Anglo Erasmus Roterodamus s.d.

Pervenimus tandem et quidem incolumes, tametsi invitis (ut apparet) et superis et inferis. O durum iter! Quem ego posthac Herculem, quem Ulyssem non contemnam?

Pugnabat Iuno semper poeticis viris infesta; rursum Aeolum sollicitarat; nec ventis modo in nos saeviebat, omnibus armis in nos dimicabat, frigore acerrimo, nive, grandine, pluvia, imbre, nebulis, omnibus denique iniuriis. Hisque nunc singulis nunc universis nos oppugnabat.
Prima nocte post diutinam pluviam subitum atque acre obortum gelu viam asperrimam effecerat; accessit nivis vis immodica; deinde grando, tum et pluvia, quae simul atque terram arboremve contigit, protinus in glaciem concreta est. Vidisses passim terram glacie incrustatam, neque id aequali superficie, sed colliculis acutissimis passim exstantibus. Vidisses arbores glacie vestitas adeoque pressas, ut aliae summo cacumine imum solum contingerent, aliae ramis lacerae, aliae medio trunco discissae starent, aliae funditus evulsae iacerent.

Iurabant nobis e rusticis homines natu grandes, se simile nihil unquam in vita vidisse antea. Equis interim eundum erat nunc per profundos nivium cumulos, nunc per sentes glacie incrustatos, nunc per sulcos bis asperos, quos primum gelu duraverat, deinde et glacies acuerat, nunc per crustam quae summas obduxerat nives; quod quidem mollius erat quam ut equum sustineret, durius quam ut ungulas non scinderet.

Quid inter haec animi Erasmo tuo fuisse credis? Insidebat attonito equo eques attonitus; qui quoties aures erigebat, ego animum deiciebam, quoties ille in genua procumbebat, mihi pectus saliebat. Iam Bellerophon ille poeticus suo terrebat exemplo; iam meam ipse temeritatem exsecrabar, qui mutae beluae vitam et una literas meas commiserim.

Sed audi quiddam, quod tu credas ex veris Luciani narrationibus petitum, ni mihi ipsi Batto teste accidisset.
Cum arx iam ferme in prospectu esset, offendimus omnia undique glacie incrustata, quae ut dixi in nivem inciderat. Et erat tanta ventorum vis, ut eo die unus atque alter collapsi perierint. Flabant autem a tergo. Itaque per declive montium me demittebam, per summam glaciem velificans, atque interim hastili cursum moderans. Id erat clavi vice. Novum navigandi genus.

Toto fere itinere obvius fit nemo, sequitur nemo, adeo non solum saeva sed etiam monstruosa erat tempestas. Quarto vix demum die solem aspeximus. Hoc unum ex tantis malis commodi excerpsimus, quod latronum incursus timuimus minus; timuimus tamen, ut homines pecuniosos decebat.

-Ex opusculo c.t. **De civilitate morum puerilium**:

Ut ergo bene compositus pueri animus undique reluceat (relucet autem potissimum in vultu), sint oculi placidi, verecundi, compositi: non torvi, quod est truculentiæ; non improbi, quod est impudentiæ; non vagi ac volubiles, quod est insaniæ; non limi, quod est suspiciosorum et insidias molientium, nec immodice diducti, quod est stolidorum, nec subinde conniventibus genis ac palpebris, quod est inconstantium, nec stupentes, quod est attonitorum, id quod in Socrate est notatum, nec nimium acres, quod est iracundiae signum; non innuentes ac loquaces, quod est impudicitiæ signum, sed animum sedatum ac reverenter amicum præ se ferentes.
Nec enim temere dictum est a priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis.
Picturæ quidem veteres nobis loquuntur, olim singularis cuiusdam modestiae fuisse semiclusis oculis obtueri; quemadmodum apud Hispanos quosdam semipætos intueri blandum haberi videtur et amicum. Itidem ex picturis discimus, olim contractis strictisque labiis esse probitatis fuisse argumentum.
Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur; quamquam in his quoque decet interdum nos fieri polypos, et ad regionis morem nosmet attemperare.
Iam sunt quidam oculorum habitus, quos aliis alios addit natura, qui non cadunt sub nostras præceptiones, nisi quod incompositi gestus non raro vitiant non solum oculorum, verumetiam totius corporis habitum ac formam. Contra compositi, quod natura decorum est, reddunt decentius; quod vitiosum est, si non tollunt, certe tegunt minuuntque.
Indecorum est clauso oculorum altero quenquam obtueri.
Quid enim hoc aliud est quam seipsum eluscare? Eum gestum thunnis ac fabris relinquamus.

- E ***COLLOQVIIS FAMILIARIBVS*** **: colloquium XLII**

IUVENIS, ECHO.

Iu. ***Cupio paucis te consulere, si vacat.***
Ec. ***Vacat.***
Iu. ***Et si venio tibi gratus iuvenis.***
Ec. ***Venis.***
Iu. ***Sed potesne mihi et de futuris dicere verum, Echo?***
Ec. Ἔχω.
Iu. ***Et Graece nosti? Quid istuc novi?***
Ec. ***Novi.***
Iu. ***Qualia tibi videntur Musarum studia?***
Ec. Δῖα.
Iu. ***Censes igitur terendos auctores, qui conducunt ad bonas literas?***
Ec. ***Teras.***
Iu. ***Quam igitur mentem habent isti, qui haec studia linguis traducunt suis?***
Ec. ***Suis.***
Iu. ***Sed utinam harum cultores similiter essent et pietatis studiosi!***
Ec. ***O si!***
Iu. ***Nunc quorundam improbitas omnes reddit invisos.***
Ec. Ἴσως.
Iu. ***Et multis hominum peccatum confertur in nomen eruditionis.***
Ec. Ὄνοις.
Iu. ***Atqui vulgo videntur non infimi.***
Ec. ***Fimi.***
Iu. ***Quid facere censes eos, qui terunt aetatem in sophistico doctrinae genere?***
Ec. ***Nere.***
Iu. ***Fortassis telas aranearum?***
Ec. ***Harum.***
Iu. ***At Penelopes telas texunt ac retexunt.***
Ec. ***Texunt.***
Iu. ***Cui suades, ut me dem vitae instituto?***
Ec. ***Tuto.***
Iu. ***Erit auspicatum, si uxorem duxero?***
Ec. ***Sero.***
Iu. ***Quid si mihi veniat usu, quod his, qui incidunt in uxores parum pudicas, parumque frugiferas?***
Ec. ***Feras.***
Iu. ***Atqui cum talibus morte durior est vita.***
Ec. ***Vita.***
Iu. ***Siccine in rebus humanis dominari fortunam.***
Ec. ***Unam.***
Iu. ***Magis fortassis expedit, ut aliquis prae coniugio monachi institutum eligat.***
Ec. ***Ligat.***
Iu. ***Quid superest remedii, ubi quem adstrinxerit iam nodus insolubilis?***
Ec. ***Bilis.***
Iu. ***Attamen miserum est homines vivere solos.***
Ec. Ὅλως.
Iu. ***Cuiusmodi censes horum temporum plerosque monachos?***
Ec. Ἄχος.
Iu. ***Quid igitur istos movet, qui suspiciunt illos ut semideos?***
Ec. Δέος.
Iu. ***Quid captant plerique qui ambiunt sacerdotium.***
Ec. ***Otium.***
Iu. ***Praeterea nihil habet sacerdos?***
Ec. Κέρδος.
Iu. ***Quid bonae rei contigit illis, qui fiunt episcopi?***
Ec. Κόποι.
Iu. ***At nulli magis vivunt in ocio.***
Ec. ***Scio.***
Iu. ***Quae res illos admonere poterit, ut intelligant, quantum sustineant onus?***
Ec. Ὁ *νοῦς*.
Iu. ***Ergo res praeclara sacerdotium, si quis se in eo gerendo qualem oportet praebeat?***
Ec. ***Beat.***
Iu. ***Quid fructus erit, si me conferam in aulam eorum, qui praecellunt monarchica dignitate.***
Ec. Ἄτη.
Iu. ***At non paucos video, qui solent illinc sibi praeclaram felicitatem ariolari.***
Ec. *Λάροι*.
Iu. ***At interim dum incedunt holosericati, vulgo videntur homines magnifici.***
Ec. ***Fici.***

Iu. ***Foris igitur aureos, intus ficulneos homines dicis, si quis inspiciat cominus?***
Ec. ***Minus.***
Iu. ***Nihil igitur praeclari sunt, quos pro diis veneramur byssinos?***
Ec. Σίνος.
Iu. ***Nec militare genus magno aestimabis fortasse.***
Ec. ***Asse.***
Iu. ***Magnum quiddam pollicentur, qui e sideribus et futura praedicunt Astrologi.***
Ec. Λόγοι.
Iu. ***At strenue laborant Grammatici.***
Ec. εἰκῆ.
Iu. ***Non placent, opinor, leguleii homines semper famelici.***
Ec. Λύκοι.
Iu. ***Qualis ero, si fiam opifex.***
Ec. ***Faex.***
Iu. ***Itane nihil praeterea adferunt artes boni aut mali?***
Ec. ***Ali.***
Iu. ***Fuerone beatus si perseveravero in bonis literis?***
Ec. ***Eris.***
Iu. ***Sed quae res dabit ut adsit pietas?***
Ec. ***Aetas.***
Iu. ***Decem iam annos aetatem trivi in Cicerone.***
Ec. Ὄνε.
Iu. ***Unde tibi subit me asinum dicere?***
Ec. ***E re.***
Iu. ***Non placet igitur is, qui se per omnem vitam tantum in hoc torqueat, ut fiat Ciceronianus.***
Ec. Ἄνους.
Iu. ***Quid superest natu grandibus, quorum aetas ad haec discenda non est tempestiva?***
Ec. ***Stiva.***
Iu. ***Facundior esses, opinor, si longius abessem.***
Ec. ***Essem.***
Iu. ***Non me delectant sermones dissyllabi.***
Ec. ***Abi.***
Iu. ***Coepi prior; video non posse vitari, quin posterior desinas.***
Ec. ***Sinas.***
Iu. ***Iam igitur tibi videor satis instructus ad ea probe gerenda, quae sunt in vita?***
Ec. ***Ita.***
Iu. ***Proinde si me voles abire, dicito.***
Ec. ***Ito.***

421. …
422. …
423. …
424. …
425. …
426. …
427. …
428. …
429. …
430. …
431. …
432. …
433. …
434. …
435. Excerpta aliquot e Thomae Mori operibus:

Epigramma adversus tyrannidem:

Non timor invisus, non alta palatia regem,
Non compilata plebe tuentur opes.
Non rigidus vili mercabilis aere satelles
Qui sic alterius fiet, ut huius erat.
Tutus erit populum qui sic regit, utiliorem
Ut populus nullum censeat esse sibi.

Epigramma in huius vitae vanitatem:

Damnati ac morituri in terrae claudimur omnes
Carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit,
Carceris in multas describitur area partes,
Inque aliis alii partibus aedificant.
Non aliter quam de regno de carcere certant.
In caeco cupidus carcere condit opes.
Carcere obambulat hic vagus, hic vincitur in antro.

Hic servit, regit hic, hic canit, ille gemit.
Iam quoque dum carcer non tanquam carcer amatur.
Hinc aliis alii mortibus extrahimur.

436. …
437. …
438. …
439. …
440. …
441. …
442. …
443. …
444. …
445. …
446. Caelius Calcagninus nepoti rettulit quantum solacii sibi afferret mollis ac placida feles:

(…) ***Me certe nihil paenitet interdum, cum vel a negotiis vel a studiis aliquid temporis succiditur, aeluro, seu mavis felem appellare, blandiri eumque adludentem et festivis ronchis supparasitantem permulcere***.

447. …
448. …
449. …
450. …
451. …
452. …
453. …
454. …
455. …
456. …
457. …
458. …
459. …
460. …
461. …
462. …
463. …
464. …
465. …
466. …
467. …
468. …
469. …
470. …
471. …
472. …
473. …
474. …
475. …
476. …
477. …
478. …
479. …
480. …
481. …
482. …
483. …
484. …
485. …
486. …
487. …
488. …
489. …
490. …
491. …
492. …
493. …
494. …
495. …
496. …
497. …
498. …
499. …
500. …
501. …
502. …
503. …
504. …
505. …
506. …
507. …
508. …
509. …
510. …
511. …
512. …
513. …
514. …
515. …
516. …
517. …
518. …
519. …
520. Carmen de Venere filio roganti ne saeviat etiam in matrem:

Sedes ad cyprias Venus,
cui centum redolent usque calentia
thure altaria sacro,
sertis vincta comas, nuda agitans choros
gaudebat, cum puer appulit,
depromptis iaculis e pharetra aureis,
depromptis quoque plumbeis,
queis terras violens subdit et aequora,
queis coeleste sibi genus.
Tum mater, miserans terrigenum simul
divorumque vicem, prior
demulcens leviter caesariem auream
melliti pueri, incipit:
Heu!, nate, usque adeo flagitiis eris
istis insatiabilis,
non tantum ut miserum perditum eas genus

humanum, excrucians modis
indignis homines, verum etiam in deos
ausis stringere spicula?
Impulsu altitonans saepe tuo induit
quam turpem deo imaginem!
Nunc taurus nivea conspicuus nota
frontem, caetera candidus,
imber nunc liquido virgineum aureus
fluxu per gremium micat.
Lunam per tacitum saepe silentium
saxis sub Iove latmiis
sopiti rapidis ignibus exscitam
coeli culmine devocas.
Cessare ad Clymemem crinigerum facis
Phoebum, qui quasi negligens
terris officium solvere debitum,
auriga est habitus piger.
In me si sceleris quid meditabere
matrem, ut mos tibi, perfide, est,
non aegre aut graviter perpetiar modo
figas nequitiae modum.
Sed quid, cum dominam figere Dindymi
laetaris tibi vis, puer?
Longeva atque parens pene deum omnium
cum sit, nec iodo idonea,
illam caecus eo perpulit at furor.
Attyn perdite ut arserit.
Cumque ignes penitus viscera permeent,
iunctis vecta leonibus
Idae per nemorum saxa virentium
fertur; quam volitans cohors
recta consequitur parsque micantibus
palmis tympana verberat
ingentique sonat voce nemus virens
cunctorumque simul fera
insanum rabies pectus agit. Proin
… … … … … … … … …
mater cuncta timens (omen inane sit!)
tristi discrucior metu,
ne forte Cybele, si resipiscat aut
haec pergat potius suo
insanire modo, saeva leonibus
te natum tenerum imperet
se coram ut lacerent namque erit aut sui
vindex aut animi impotens.
Praesenti esto animo, mater, ait puer,
nec te sollicitet metus,
mitescunt adeo namque mihi feri
isti, quos metuis, juba ut
prensa ritu equitis non trepide insidens
tergis hos agitem vagus,
caudis incipiunt, auribus et mihi
adblandirier interim,
dumque ori digitos, dumque manum insero,
reddunt innocuam mihi.
Postremo quid ego pecco tibi, aut aliis
cum res sedulus offero
pulcras ante oculos monstrosque lucidis
pictas usque coloribus?
Vos iam desinite aut appetere omnia haec
aut sic obicere id mihi.
Num vis, mater, uti, Mars tuus haud te amet
posthac? nec redames eum?
Natus sum atque potens; impera et obsequar.
Nulla ut non superans, puer,
in re es, quin celebri bile etiam tumes,
nostro haud subtrahe te, puer,
amplexu; peto nil praeter id amplius.

521. …

522. Carmen Sapphicum in bonam valetudinem:

Diva funestis inimica morbis,
Cui vigor mentis, solidumque robur,
Et ioci dulces, animique semper
Gaudia cordi;
Te voluptatis canimus parentem,
Candidam blandae Veneris sodalem,
Unicum vitae decus et malorum
Dulce levamen;
Quam colunt sancte iuvenes senesque,
Quam sibi cuncti cupiunt suisque;
Nam simul coetus hominum caducos
Alma revisis,
Ilicet morbi fugiunt protervi,
Occidit febris truculenta, dirus
Occidit Pallor, fera mors profundo
Exsulat Orco;
At domus florent pueris senesque
Induunt fortem virides iuventam;
Et Venus terras colit et Lyaeus,
et bonus Hymen.
O quies rerum, o hominum benigna
Mater, o cunctis veneranda namque
Quid potest gratum sine te, quid ulli
Dulce videri?
Huc ades nostrum miserans laborem,
Sive te caeli tenet aula, sive
Insulis molles choreas beatis
Laeta frequentas;
Huc ades tandem, bona Diva, et artus
Languidos auta refove salubri
Ne meam tabes edat immerentem
Atra iuventam.

523. …
524. …
525. …
526. …
527. …
528. …
529. …
530. …
531. …
532. …
533. …
534. …
535. …
536. …
537. …
538. …
539. …
540. …
541. …
542. …
543. …
544. …
545. …
546. …
547. …
548. …
549. …

550. Carmen lyricum cui index *Ad Neaeram*:

Quantum delicias tuas amabam,
Odi deterius duplo ampliusque
Tuam nequitiam et procacitatem,
Postquam te propius, Neaera, novi.
At tu si penitus perire me vis,
Si vis perdite amem et magis magisque
Totis artubus imbibam furorem:
Sis nequam magis et magis proterva.
Nam quo nequior es proterviorque,
Tanto impensius uror inquieto
Ventilante odio faces amoris
Et lentas iterum ciente flammas.
Quod si sis melior modestiorque:
Odero minus, et minus te amabo.

551. …
552. …
553. …
554. …
555. …
556. …
557. …
558. …
559. …
560. …
561. …
562. …
563. …
564. …
565. …
566. …
567. …
568. …
569. …
570. …
571. …
572. …
573. …
574. …
575. …
576. …
577. …
578. …
579. …
580. Versus aliquot excerpti ex elegia praefatoria c.t. *Ad catholicum et invictissimum regem Philippum*…

Aethiopum terris venit, qui gesta Latinus
Austriadae mira carminis arte canat.
Is genibus flexis orat te, invicte Philippe,
Cantator fratris possit ut esse tui.
Nam si nobilitant Austriadae bella poetam,
Phoenicem Austriadam, quod niger, ille facit.
Terribilis classis gentes motura Philippi:
Orbi portentum tunc erit Austriades.
Prodigiosa viros turbabit gama poeta
Volventes fastis haec monumenta tuis.
Aurora hunc peperit, Reges Arabumque beatos,
Primitias gentium quos dedit illa Deo.
Quod si nostra tuis facies, Rex, nigra ministris,
Displicet, Aethiopum non placet alba viris.
Illic Auroram sordet qui viserit albus,
Suntque duces nigri, Rex quoque fuscus adest.
…
Nec rerum est Dominus, qui non admiserit omnes,
Gentem ne excludat Regia forte meam.

581. …
582. …
583. …
584. …
585. …
586. …
587. …
588. …
589. ...
590. …
591. …
592. …
593. …
594. …
595. …
596. …
597. …
598. …
599. …
600. …
601. …
602. …
603. …
604. …
605. …
606. …
607. …
608. …
609. …
610. …
611. …
612. …
613. …
614. …
615. …
616. …
617. …
618. …
619. …
620. …
621. …
622. …
623. …
624. …
625. …
626. …
627. …
628. …
629. …
630. …
631. …
632. …
633. …
634. …
635. …
636. …
637. …
638. …
639. …
640. …
641. …
642. …
643. …
644. …

645. …
646. …
647. …
648. …
649. …
650. …
651. …
652. …
653. …
654. …
655. Hoc commoventissimum carmen Lipsius composuit suo ipsius epitaphio apponendum:

"***Quis hic sepultus, quaeris, ipse edisseram***
Nuper locutus et stilo et lingua fui
Nunc alteri licebit. Ego sum Lipsius
Cui litterae dant nomen et tuus favor;
Sed nomen, ipse abivi, abibit hoc quoque;
Et nihil hic orbis quod perennet possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas
Et scenae imago et verbo ut absolvam, NIHIL.
Extremum hoc te alloquor
Aeternum ut gaudeam tu apprecare."

656. …
657. …
658. …
659. …
660. …
661. …
662. …
663. …
664. …
665. …
666. …
667. …
668. …
669. …
670. …
671. …
672. …
673. …
674. …
675. …
676. …
677. …
678. …
679. …
680. …
681. …
682. …
683. …
684. …
685. Ioannis Audoeni epigrammata aliquot excerpta:

Ad causidicum
Si felix, rerum potuit qui noscere causas;
qui nosti causas dicere, quantus homo es?

In aulum, nobilem ignobilem
Degener Aule, tuis majoribus omnia debes;
debebit, credo, nil tibi posteritas.

Venus
Principium dulce est, at finis amoris amarus :
laeta venire Venus, tristis abire solet.
Flumina quaesitum sic in mare dulcia currunt :
postquam gustarunt aequor, amara fluunt.

In Marcum
Esse in natura vacuum cur, Marce, negasti,
cui tamen ingenii tam sit inane caput ?

Orbis
In mundo nil constat : in orbem vertitur orbis.
Quid mirum recti quod sit in orbe nihil ?

Mors
Mors quid sit, rogitas ? Si scirem, mortuus essem.
Ad me, cum fuero mortuus, ergo veni.

Ad Ponticum
Saepe rogas, "Quot habes annos ?" Respondeo, "Nullos".
Quomodo ? Quos habui, Pontice, non habeo.

Parum, nihil, nimis, satis
Pauper in orbe parum, mendicus nil habet usquam ;
dives habet nimium : quis, nisi nemo, satis ?

Optativus modus
Infinitivo prope par modus optativus :
optandi finem nam sibi nemo facit.

Democritus et Heraclitus
Ille nihil nisi risit, et iste nihil nisi flevit :
istene ridendus, flendus an ille magis ?

686. Locus excerptus ex opere cuius inscriptio est *Sidereus Nuncius*:

Mensibus abhinc decem fere, rumor ad aures nostras increpuit, fuisse a quodam Belga Perspicillum elaboratum, cuius beneficio obiecta visibilia, licet ab oculo inspicientis longe dissita, veluti propinqua distincte cernebantur; ac huius profecto admirabilis effectus nonnullê experientiê circumferebantur, quibus fidem alii prêbebant, negabant alii. Idem paucos post dies mihi per literas a nobili Gallo Iacobo Badovere ex Lutetia confirmatum est; quod tandem in causa fuit, ut ad rationes inquirendas, necnon media excogitanda, per quê ad consimilis Organi inventionem devenirem, me totum converterem; quam paulo post, doctrinê de refractionibus innixus, assequutus sum: ac tubum primo plumbeum mihi paravi, in cuius extremitatibus vitrea duo Perspicilla, ambo ex altera parte plana, ex altera vero unum sphêrice convexum, alterum vero cavum aptavi; oculum deinde ad cavum admovens obiecta satis magna et propinqua intuitus sum; triplo enim viciniora, nonuplo vero maiora apparebant, quam dum sola naturali acie spectarentur. Alium postmodum exactiorem mihi elaboravi, qui obiecta plusquam sexagesies maiora reprêsentabat. Tandem, labori nullo nullisque sumptibus parcens, eo a me deventum est, ut Organum mihi construxerim adeo excellens, ut res per ipsum visê millies fere maiores appareant, ac plusquam in terdecupla ratione viciniores, quam si naturali tantum facultate spectentur. Huius Instrumenti quot quantaque sint commoda, tam in re terrestri quam in maritima, omnino supervacaneum foret enumerare. Sed, missis terrenis, ad Cêlestium speculationes me contuli; ac Lunam prius tam ex propinquo sum intuitus, ac si vix per duas Telluris diametros abesset. Post hanc, Stellas tum fixas, tum vagas, incredibili animi iucunditate sêpius observavi; cumque harum maximam frequentiam viderem, de ratione, qua illarum interstitia dimetiri possem, excogitare cœpi, ac demum reperi. Qua de re singulos prêmonitos esse decet, qui ad huiuscemodi observationes accedere volunt. Primo enim necessarium est, ut sibi Perspicillum parent exactissimum, quod obiecta perlucida, distincta et nulla caligine obducta reprêsentet.

687. …
688. …
689. …
690. …
691. De Maphaei Barberini carminibus iuvenilibus egregius ille litterarum Latinarum pervestigator, nomine Theodericus Sacré, lautam habuit orationem, unde excerpsi poemata haecce:



De disticho illo vere eleganti ac venusto quod Maphaeus Barberinus exaravit, sic enarrat Theodericus Sacré sua oratione de carminibus eius poetae:

Ad rem vero ut redeam, errare vos, auditores, autumem si ne unum quidem vobis Maphaei Barberini versiculum innotuisse contendatis. Nam mecum una vos, etiamsi hanc Urbem incolatis, periegetae estis, admirandaque eiusdem lustrare soletis. Omnes igitur aliquando Musaeum illud Burghesium, quod extat in Villa eiusdem nominis, adiistis; ibi, peregrinantium gregibus numquam non stipati, Myronis ut ita dicam opus divinum aspexistis, Berninianum dico Apollinem, qui Daphnen virginem adamatam paene assecutus in laurum converti miratur; nihil hoc opere elegantius excogitari potuisse meministis, nihil, quamvis sit marmoreum, magis spirare videri. Postquam igitur statuam illam admirabundi circumiistis, oculos, ni omnia fallunt, demisistis, basimque disticho Latino adornatam intuiti estis; quae haec habet verba iuncturis aliquibus sumptis ex Ovidio poeta, maximo eius ornatore:

Quisquis amans sequitur fugitivae gaudia formae,
Fronde manus implet, baccas seu carpit amaras.

Hos ergo versus scitote, -inquit Theodericus-, *Maphaeum nostrum scripsisse; quibus fabulam amatoriam et profanam in usus morales convertit et statuam haudquaquam religiosam, qua aedes Scipionis Cardenalis Burghesii ornabantur, visentibus commendavit.*

De Maphaei Barberini sive Urbani VIII carminibus iuvenilibus. Theodericus Sacré.

Cur magis oblectant lauri, felicior arbos
si crux divini pignus amoris habet?
Orphea cur canimus penetrantem ad Tartara, victor
si spolians Erebum Iesus ad astra redit?

Caligant oculi, languentia crura labascunt,
Deficit et membris qui fuit ante vigor.
Praeteritis lustris bis septem, labilis aetas
Nuntiat extremum non procul esse diem.

Extremum radiat, pallenti involvitur umbra
Iam iam sol moriens; nox subit atra, Leo,
Atra tibi; arescunt venae nec vividus humor
Perfluit; exhausto corpore vita perit.

Nec quot mollia floribus renident
prata, cum Zephyri aura ver reduxit,
nec quot sideribus polus coruscat,
cum nigro tenebrae tegunt amictu
terram, nec tibi* quot petit Catullus, *[***sibi***. Theodericus emendat.]
des mihi volo basiationes.
Unum des, mea lux, precor, misello,
unum, Portia, suavium rogantem*, *[***roganti***. Theodericus emendat.]
unum basiolum mihi. At quot ille
petit, quot polus astra quoque habet ver
flores, tot, mea vita, duret horas.

Cum mihi claudebat languentia lumina somnus,
sub sera hoc tantum nocte quietis erat.
Dira sopore dolis ac me nunc somnia turbant,
meque ferit dominae mira imago minis.
Ah, datur saltem optato succumbere leto!
Ah, nostras audi tu, Libitina, preces!
Ecquod enim poenae sperem solamen, in ipsa,
si requie misero est irrequieta quies?

692. Hoc suavi poematio nutrix intantulae explicat cur baubitet catulus et maumitet cata:

Ubera dum sugis, sugis dum, Cloelia, mammas
baubitat hinc catulus, maumitat inde cata.
Forsitan ore fament, sed de istis, pupa, papillis
praeter te suctant nec cata nec catulus.
Haec tibi turgescunt solum, tibi, pupula, baubat
et maumat somnum dum mihi tu renuis.
Ut ne igitur baubet catulus, ne fuscula maumet
ore cata, obdormi tu, bona pupa, mihi.

(N.B. Index verborum non antiquorum:
1. *baubitare* = *baubare* 2. *cata* (correpta syllaba priore = *catta*) 3. *maumitare* = *maumare* = *felire*, *queri* (de felibus dicitur).

Hoc altero carmine, distichis composito, Nutrix dulcissimum elegantissimumque in modum invitat somnum:

Dum vagit mea pupa mihi, dum bellula vagit,
hos ad vagitus, somnule blande, veni.
Dum sibi lacrimulis teneros corrumpit ocellos,
has ad lacrimulas, somnule blande, veni.
Dum mihi submordet mammas, dum crudula mammas
prensitat, ad mammas, somnule blande, veni.

Dum mihi subridet tenero mellita labello,
hos ad subrisus, somnule blande, veni.
Huic dum naeniolam canto, dum naenia nanna, (N.B.: *nanna*: interiectio neniarum soporiferarum)
has ad naeniolas, blandule somne, veni.
Somne, veni, pulchelle, veni, mellitule somne,
somne, puellarum dulcis amice, veni.

693. …
694. …
695. …
696. …
697. …
698. …
699. …
700. …
701. …
702. …
703. …
704. …
705. …
706. …Theodericus Sacré haec de Iani Nicii Erythraei apologo cuius inscriptio est de musculo, fele et gallo:

Hic apologus offenditur in mythistoria c.t. **Eudemia**, *quam conscripsit Ianus Nicius Erythraeus (sive Ioannes Victorius Rossi) (1577-1647), Latinitatis auctorum qui saeculo XVII floruerunt mea quidem sententia facile princeps. … Verum, nisi fallor, fabellam non ipse excogitavit Nicius, sed aliunde sumptam veste exornavit Tulliana.*

Musculo, qui numquam lare familiari suo, hoc est, domestici parietis rimis egressus, lucem aspexerat, gallus ac felis, simul atque exiit, occurrerunt. Felis mansueta ac dormienti similis, quasi non vidisset, dissimulare, oculos interdum alio convertere, locum non relinquere, nullam vocem dare: contra gallus summa cum festivitate et maxima voce accurrere, obviam ei tendere, maximos ludos inire: musculus, ea voce ac forma perterritus, arrepta fuga, in penitissimam parietis sui partem se conferre. Forte domi mater aderat, quae sic fugientem conspicata: "Quo te agis", inquit, "o fili? Quid est quod te exanimatum video?" Cui munusculus: "Perii, mater! Oppido perii!". Mater: "Quid tibi est?", ait, "Quid periisti?" Cui tandem misellus "mihi", inquit, "domo egredienti fit obviam animal nescio quod bipes, cristatum, plumis tectum, eiecta lingua, fluentibus buccis, ardentibus oculis, quod statim in me fecit impetum, credo, ut integrum devoraret. Sedebat ex adverso aliud animal, pellitum, placidissimum, videre velles, mater, vultu adeo mansueto, adeo venusto ut nihil supra; id loco se nihil movebat, sed oculos, modo graves somno paululum dabat, modo, siderum instar, lucidissimos alio detorquebat." Cui mater, "Quid audio?", inquit, "Hoc est illud animal, generi nostro adeo infestum, de quo ego tibi saepe narravi; neque aliud quicquam illa mansuetudinis simulatione spectabat, nisi ut te incautum opprimeret; contra alterum illud festivum ac petulans, effusissima ista laetitia ludos tantum iocosque tibi parabat."

707. …
708. …
709. …
710. …
711. …
712. …
713. …
714. …
715. …
716. …
717. …
718. …
719. …
720. …
721. …
722. …
723. …
724. …
725. …
726. …
727. …
728. …
729. …
730. …
731. …
732. …
733. …
734. …
735. …
736. …
737. …
738. …
739. …
740. …
741. …
742. …
743. …
744. …
745. …
746. …
747. …
748. …
749. …
750. …
751. …
752. …
753. …
754. …
755. Iacobi Balde duorum carminum versus excerptos atque commentario egregii Latinitatis praeceptoris, Valahfridi Stroh nomine, instructos deinceps exscribo. Tertio denique carmine *Melancholia* inscripto florilegium huius praeclarissimi auctoris ad tempus finio:

Nam illa Ode, quam a. 1636 edidit, manifestum est eum popularem aliquam famam secutum esse. Nihil certe gratius illo saeculo fuit, nihil iucundius quam de rerum omnium uanitate conqueri et decantare illud Salomonis: „Vanitas uanitatum et omnia uanitas". Quod Balde fecit centum strophis - quare hanc Oden etiam Hecatomben uocauit –, cum in longa serie rerum omnia uana i.e. caduca ac futilia esse declarat: uetera regna Persarum, Graecorum, Romanorum, nobilissimos uiros ut reges, duces, oratores, poetas; unam aeternam manere dicit urbem Ierusalem, quam mente tamen adire homini semper liceat.23) Id autem agit uersibus quam maxime iocosis, quos bilingues edidit, nempe et Latine et Germanice scriptos ...
Sic autem incipit [cf. Op. omn. 7, p. 17 24)] :

FVERE TROES, ILIVM;	*Troia ist hin / einanders her/*
TROS, ILIVM FUERE,	*Als wan sie nie wär gwesen.*
Fuit, fuit Domus Inclyta	*Verschwunden seynd all Dardaner.*
Nomenque Dardanorum,	*Schon tausentmal verwesen.*
Impressit altis mœnibus	*Mit gmäur vnd wändt / vom fundament /*
Hostile Mars aratrum.	*Ist Troia gantz verbrunnen.*
Vbi steterunt Pergama,	*In Hectors Saal wachßt vberal*
Nunc fluctuant aristæ.	*Wein / Korn / bey guter Sunnen.*

Primi versus carminis rhythmici ad honorem Leopoldinae Imperatricis (quae vitam amisit dum enitebatur):

Eheu, quid Homines sumus ?
Vanescimus, sicuti fumus.
Vana, uana Terrigenum Sors,
Cuncta dissipat improba Mors.

Quae supra, lector observande, vides exscripta didici atque excerpenda curavi ex lautissima professoris Valahfridi Stroh oratione quae inscribitur *de Iacobi Balde vita et operibus*.

Melancholia

Semper ego inclusus Germanae finibus orae
in Bavara tellus senescam.
Tristibus imperiis spatio retinemur in arcto
et curtum male perdimus aevum.
Atqui vincla licet rupto dissolvere nodo
et clausas diducere turres:
Graeculus effugiens aliquis Minoia regna
ceratas sibi sumpserat alas.
Sed neque fallaces ventos temptare necesse est
lasuris super aequora pennis.
Tota mihi quamvis adeo Germania carcer,
deterius quoque carcere corpus,
libera mens tamen est: ubi vult,
habitatque volatque.
In pelago non impedit Auster,
in terris non tardat obex,
transcendit et Alpes nubiferas ac sidera pulsat.
Accedit Phoebi donum,
divina poësis.
Hac fretus velocior Euro
Euri nascentis patriam cunasque videbo,
Aurorae rapiendus in ortum.

756. …
757. …
758. …
759. …
760. …
761. …
762. …
763. …
764. …
765. …
766. …
767. …
768. …
769. …
770. …
771. …
772. …
773. …
774. …
775. …
776. …
777. Iacobus Moireau poemation de puerili quodam ludo iaciendi teretes lapillos in aquae superficiem ut subsultim quam longissime prolabantur, lusit inscripsitque **OSTRACOPAEGNION**. Etenim, apud Forcellinium haec de lusu supra dicto:
Minuc. Fel. Octav. 3. de puerili lusu, qui Graece dicitur ἐποστρακισμὸς, Gallice *ricochet*. Testam super undas irrotare. h. e. libratam manu ita projicere, ut summam aquam stringat, et in ea velut rotetur.

Cum nūper vacuās animus mihi falleret hōrās
Sōlus et in siccā mēcum spatiārer arēnā,
Errābunda ferens dubiō vestīgia passū;
Mē tendentem ultrā puerōrum ignōta voluptas
Sistit et errantēs advertit ad aequora sensūs.
Lūdus erat: teretēs in apertō lītore testās,
Parvaque saxa legunt, sensim quibus aspera lapsū
Continuō mare dorsa terit, cunctamque perēdit
Scabritiem et patulum tundendō lēvigat orbem.

Haec plānō comprensa sitū tōtōque reclīnis
Corpore et aequoreās usque inclinātus ad undās
In mōrem iaculi aut excussae verbere fundae
Parvulus in summōs tōtō cōnāmine fluctūs
Irrotat; illa volans pelagō vīcīna iacentī
Rādit aquās, longumque diū suspensa tenōrem
Testa tenet: tunsīs nunc fluctibus ardua sursum,
Ēmicat ēmergens, crebrōque animāta recussū,
Nunc subsīdit aquae, nunc tollitur usque, sub īmōs
Dum dēlapsa lacūs nīsū dēfēcit inānī.
Cuius ad extrēmās strictim lībāverat undās
Saepius; et totiēs sēsē super aequora tollens,
Longius et spatiīs testae ulteriōribus orbis
Suspendēbat iter, tōtō ille ex agmine victor
Ante aliōs, multumque suīs laudātus abībat.

778. …
779. …
780. …
781. …
782. …
783. …
784. …
785. …
786. …
787. …
788. …
789. ..
790. …
791. …
792. …
793. …
794. …
795. …
796. …
797. …
798. …
799. …
800. …
801. …
802. …
803. …
804. …
805. …
806. …
807. …
808. …
809. …
810. Versus aliquot excerpti ex auctoris carmine, distichis composito, cui index *Descriptio Pennsylvaniae*. Hunc locum excerptum egregius professor Theodericus Sacré hisce verbis laudat:

Tertio [XVIII] *saeculi decennio, mores Indorum Americanorum sive Indianorum poetice et celebravit et ceteris Pennsylvaniae civibus quodammodo commendavit Thomas Makin poeta Philadelphenus, quod aetatem Indi degerent quandam auream vitaeque innocuae ac beatae exemplaria proponerent.*

Hanc fera gens Indi terram tenuere coloni;
30 ***moribus at nunc est mitior usque bonis,***
pacis amans, Anglis concordi foedere iuncti,
cura quibus pactam non violare fidem.
Hi fugiunt rixas et noxia semina litis,
et leges ultro iustitiamque colunt.
35 ***Hi spernunt artes durum fugiuntque laborem***
hos vacuos curis libera vita iuvat.
…
51 ***Indorum iuvenes ullum gustare liquorem***
non licet – exemplar nobile – praeter aquam.
Mollibus in lectis Indi requiescere nolunt,
nunc humus est lectus, nunc sibi nuda teges.
…
65 ***O gens Indorum, vos terque quaterque beati,***
nulla quibus requiem sollicitudo vetat!
…
69 ***vivitur hic igitur tuto sine militis usu,***
et sibi securus propria quisque tenet.
Hic locus est multis felix, ubi sedibus aptis
sors optata dedit non sine pace frui.

811. …
812. …
813. …
814. …
815. Excerpta e commenticia Ludovici Holbergii narratione cui index: ***Nicolai Klimii iter subterraneum***.

Stertueram, quantum conicere mihi licuit, duas horas, cum horrendus boatus, diu quietem turbans, tandem somnum penitus excussit. Dormientis animo variae ac mirae oberraverant imagines. […] Sed cum haud procul stantem viderem

taurum, ex eiusdem boatu quietem abruptam conieci. Mox timidos oculos undique circumferens, cum oriente sole, virides passim campos et fecundos videbam agros. Arbores quoque apparuere, sed (mirabile visu) mobiles erant, licet tanta esset aeris tranquillitas, ut ne levissima quidem pluma moveri loco posset.

Cum mugiens taurus recta ad me tenderet, trepidus fugam circumspiciebam, ac in ista trepidatione arborem haud procul stantem conspicatus, eandem scandere conabar. Sed cum in eo essem, vocem illa edidit teneram, sed acutam et talem, qualis solet esse iracuncae mulieris, moxque quasi palma excusissima colaphus mihi tanta vi inflictus est, ut vertigine correptus pronus in terram caderem. Ictu hoc iam quasi fulmine percussus, ac terrore animam propediem agens, murmura undique audiebam et strepitus, qualibus resonare solent macella aut mercatorum basilicae, quando maxime sunt frequentes.

Postquam oculos aperiebam, conspicabar totam circa me silvam animatam campumque arboribus arbusculisque obsitum, cum nuper vix sex vel septem apparuissent. Vix dici potest, quantas haec omnia in cerebro meo turbas excitaverint, et quantum his praestigiis animus commotus fuerit. Iam vigilem me somniare, iam spectris me vexari et malis spiritibus obsideri, iam alia absurdiora mihi fingebam.

Sed tempus mihi non datum est, automata haec eorundemque causas excutiendi; nam advolans mox alia arbor ramum demittit, cuius extremitas sex gemmis, tanquam totidem digitis, munita erat. His iacentem me sustulit ac vociferantem abstraxit, comitantibus innumeris diversi generis diversaeque magnitudinis arboribus, quae sonos ac murmura edebant, articulata quidem, sed auribus meis pergrina, adeo ut nihil praeter verba haec *Pikel Emi*, ***cum saepius eadem iterata fuerint, retinere memoria potuerim. Audivi mox per verba haec intelligi simiam insolitae figurae: quippe e corporis mei forma et cultu coniciebant, me simiam esse, quamvis specie nonnihil distinctam a cercopithecis, quos haec terra alit. Alii pro incola firmamenti me ceperunt, quem alitem per aerem huc apportasse credebant; id quod olim usu venisse annales huius globi testantur.***

Hoc praeterea loco, iura feminarum aliquo pacto vindicantur ante tempora haecce novissima:

Maximam vero admirationem movebat historia Praesidis; nam virgo erat, indigena huius loci, et a principe constituta *Kaki*, ***seu supremus in civitate iudex. Apud hanc gentem enim nullum in distributione officiorum observatur sexus discrimen, sed habito delectu, reipublicae negotia dignissimis conferuntur. Ut rite de uniuscuiusque profectu ac dotibus animi iudicetur, instituta sunt seminaria, quorum ephori sive directores dicebantur*** *Karatti* ***(vox ista proprie denotat examinatores sive scrutatores). Eorum officium erat profectum & vires uniuscuiusque examinare, indolem iuventutis penitius inspicere, habitoque examine, principi quotannis exhibere indicem eorum, qui ad munera publica essent admittendi, simulque ostendere, qua in re unusquisque patriae maxime usui esse posset. Accepto isto catalogo, Princeps nomina candidatorum libro inferri iussit, quo in memoria & tanquam tanquam ante oculos haberet, quos ad vacantia munera admoveret. Praedicta virgo splendidum ante quatuor annos a Karattis obtinuerat testimonium, eoque nomine a Principe constituta erat Praeses Senatus huius urbis, in qua nata erat. Sancta & constans est huius moris observantia apud Potuanos, cum credant, optime iis perspectum esse statum loci, qui in eodem nati sunt & educati. Palmka (id nomen huic virgini erat) summa cum laude triennii spatio spartam hanc ornaverat, habitaque fuit prudentissima totius civitatis arbor. Nam tanta illi erat perceptionis tarditas, ut rem, nisi ter vel quater repetita esset, aegre perciperet. At, quod semel percepit, penitus perspexit, tantoque iudicio quaevis problemata discussit, ut effata eiusdem totidem oracula habita fuerint.***

Novit enim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae, rectum discrevit, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo.

Hinc nulla ab ea quadriennii spatio dicta fuit sententia, quae non a summo tribunali Potuano confirmata & encomiis ornata esset. Igitur institutum istud in favorem sexus sequioris, quod primo intuitu damnaveram, non plane absonum curatius examinanti visum est. Cogitabam mecum: Quid, si uxor Praetoris nostri Bergensis loco mariti ius diceret? Quid, si advocati Severini filia, eloquentia ac praeclaris animi dotibus ornata virgo, pro stupido parente causas in foro ageret? Iurisprudentia nostra parum inde detrimenti caperet, & forsitan Themis toties non vapularet.

816. …
817. …
818. …
819. …
820. …
821. …
822. …
823. …
824. …
825. …
826. …
827. …
828. …
829. …
830. …
831. …
832. …
833. …
834. …
835. …
836. …
837. …
838. …
839. …
840. …
841. …
842. …
843. …
844. …
845. …
846. …
847. …
848. …
849. …
850. Primi versus carminis de volatu, quod quidem carmen editumst in primo Arcadum carminum tomo:

Cur pateat volucrum pennis agitabile regnum

Iunonis liquidae: fraudari nescia tardo
Pondere cur liceat subducere corpora terris,
Ac caelo propiore frui, sacer impetus urget
Dicere, et intactas Pindo decerpere laurus.
Sic volucres inter forsan novus ales inerti
Tollar humo, victorque virum volitabo per ora.
Audior: ignavis cecidit cutis aspera membris.
Purior intactis nivibus lactescere iussit
Cervicem candor: digitis humerisque recentes
Traduntur plumae; Venusino olor addor olori.

851. …
852. …
853. …
854. …
855. …
856. Walchius de patrimonio scriptorum latinorum deque recentioribus ac recentissimis vere dignis qui legantur haec quondam retulit:

… ***Namque de lingua veterum Romanorum disputamus, quorum auctores antiqui magis habendi sunt quam recentiores, quoniam illi fons sunt atque origo, ex qua hi omnia Latina sua petierunt. Consultius autem est ipsos fontes adire, quam sectari rivulos, et dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae, quod tritum nec a veritate alienum est proverbium. Nihilominus recentiores cum veteribus coniungendos esse existimo, partim ut cognoscamus quomodo illi veteres sint imitati et facilius percipiamus ea applicare et ad usum quendam adferre, quae in ipsa latinitate profecimus; partim, quia recentiores auctores maiori*** (sic) ***suavitate voluptateque leguntur, quam vetustiores, quoniam argumenta illorum tempori atque ingenio nostro magis sunt accommodata. Eiusmodi autem recentioris aevi scriptores eligamus, qui veteres Latini ac puri sermonis laude celebres imitati sunt et illorum copiam, vim atque elegantiam expresserunt, quorum ingeniorum aetas et patrum et nostra ipsa ferax fuit***.

857. …
858. …
859. ....
860. …
861. …
862. …
863. …
864. …
865. …
866. …
867. …
868. …
869. …
870. Poetae versus excerpti e carmine cuius titulus est *Desiderium patriae*:

Illyrici colles, atque altae antiqua Ragusae
Moenia, vagitus conscia terra mei;
Quando erit, ut vestras redeam vetus exul ad oras,
Flensque feram patriis oscula liminibus?
Quando erit, Adriaci relegens tumida aequora ponti
Deprecer ut faciles in mea vela Notos!
Septima jam gravidum spicis caput extulit aestas,
Et peragit cursus septima bruma suos;
Ex quo me terris Mavortia Roma Latinis
Abstractum a dulci distinet Illyria.
Hei mihi! si tectis potui procul esse paternis
Tempore tam longo, ferreus ipse fui.
Non me longaevus parens, aut optima mater,
Nec dulcis potuit me revocare soror.
Nec desiderium teneri mea pectora fratris
Contigit Armeniis aemula tygridibus.
Ipsa etiam ut terras procul hinc scrutetur apricas,
Trans freta longiquam carpit hirundo viam,
Vere novo tamen usque redit, sua tecta revisens
Pendula ab antiqua qualiacumque trabe.
Ipsa etiam offensi fugiens odia alta parentis
Medea, et fratris caede cruenta sui,
Saepe ad desertos retulit sua lumina Colchos,
Et lacrymans dixit, Terra paterna vale.
Ast ego nec patriamve meam, vel fata meorum
Sacravi externo perfidus hospitio.
Nec me discerpti fratris serere arva cruore
Spectantes, Hircanae obstupuere tygres:
Nec fraudata suis per me fuit urna favillis,
Palleat ut magicis Cynthia carminibus.
Quid tamen haec bene facta juvant, si durius ipsa
Colchide vesanum cor mihi robur habet?
Si pater, et genetrix, et quidquid dulce putatur,
Nomina sunt animo vilia facta meo.
Ah pietas; ah humani vetus incola sensus

Atque expulse meo e pectore dulcis amor,
In nostros remeate sinus, animamque rigentem
Mollite, et sacra conficite usque face.
Ibimus, Adriaci, sic stat, sulcabimus undas
Aequoris; o cupidae pandite vela rati.
Martia Roma vale, nimium mihi cognita longo
Tempore, nunc demum jusque, piumque vocant.
Sterne viam, Neptune, iras compesce furentes
Undarum, patria est terra petenda mihi.
Fac Zephyros spirare leves, animamque Favoni
Lascivire alis per freta purpureis.
Nympharumque chori circumfundantur eunti,
Tethys, cumque sua Doride Nereïdes;
Et Glaucus puppim impellat, viridisque Palaemon
Proram occursuris subtrahat a scopulis.
Quod si forte negent faciles maria aspera cursus,
Et toto praeceps impete regnet hyems,
Aethera carpemus medium: maria ipsa stupebunt
Per non assuetas me dare vela vias.
Nec tu, Daedale, eris coelo libratus ab alto
Unica venturi temporis historia.
Daedalus, ut perhibent, patriae telluris amore
In labyrinthaei dum jacet arce doli,
Avulsam volucrum plumam sociavit in alas,
Artifices pennis applicuitque manus.
Par causa, idem amor est nobis: Amor ipse lacertis
Aptabit pennas, remigiumque meis.
Quin etiam ipse meos anteibit in aethere cursus
Aliger, ignotae duxque comesque viae.
Qualis sidereae sublimi e vertice pinus
Mater vix natis anteit alitibus.
Tunc mihi nec medio placeat signa ardua coelo
Discere, nec geminos visere velle polos,
Erigonemque, Ursamque, et qua se parte videndum
Explicet, et stellas abluat Eridanus.
Icare, linque ducem, medioque invectus Olympo
Aemulus ignivomis, i, licet, usque rotis.
Illyris Adriaco ridet qua littore tellus,
Indeclinata me feret aura via.
Teque alta aspiciens superantem sidera, dicam
Dulcior est ipsis Patria Sideribus.

871. …
872. …
873. …
874. …
875. …
876. …
877. …
878. …
879. …
880. …
881. …
882. …
883. …
884. …
885. …
886. …
887. …
888. …
889. …
890. …
891. …
892. …
893. …
894. …
895. Versus Rogerii Boscovicii e carmine excerpti cuius inscriptio est *De Solis ac Lunae defectibus* :

Cur quondam aethereas Titan sine nube per auras
Dum micat et puro respergit lumine terras,
Praetexat subita nitidos ferrugine vultus
Impatiensque morae fuscis Nox prodeat alis
Atra die medio stellasque inducat Olympo;
Cur, sudo dum laeta nitet Latonia coelo,
Nunc tenebris condat caput et nunc sanguine multo
Inficiat frontem, Latiis memorare Camoenis
Aggrediar penitusque imas educere causas.
Tu mihi, qui Arcadico, aethereo qui summus Olympo,
Phoebe, nites, naturae aditus tu pande repostos
Divinumque immitte jubar, tu suffice venam

Te dignam! Tua res agitur, seu lumina terris
Ipse neges, solita seu fraudes luce sororem.
Tuque adeo Aonias inter mihi maxima divas,
Uranie, terras quae dedignata jacentes
Alta petis cursu et caput inter sidera condis,
Huc ades atque tuum facilis ne desere vatem!
(...)
Praeterea globulus, rubicundae stamina lucis
Flectere qui medium evaleat delata per axem,
Obliquis illapssa viis reliqua omnia flectet.
Majora haec etenim vicium intervalla requirunt
Perque globum obliquo tendit quae semita calle,
Est brevior, medio quam qui traducitur axis.
At contra medium globulus deducta per axem
Vix potis est violae qui languida flectere fila,
Nulla parte sui reliquos inflectere fucos
Et circum aeriis poterit dispergere campis.
Corporis hinc radius liquidi per viscera si se
Tramite perspicuo tulerit, cui mole minuti
Occurrant varia globuli partemque reflectant,
Semper plura viam mutabunt tristia fila,
Quae referunt violam, ardenti quam tincta rubore
Caeruleique adeo praebebit forma coloris
Se tibi reflexo spectandam in lumine; contra
Transmissum lumen sensim flavescet eundo.
Quin et longa satis post intervalla viarum
Stamina jam violae quondam jamque Indica ferme
Deficiunt, magna distracta e parte, viretque
Reflexum jubar ac transmissum sanguine fervet.
Est alta aequoreas quam mos demittere in undas
Machina: conclusas gremio premit aeris auras
Nequicquam inferne conata irrumpere lympha.
Hinc inde insertis crystallus pura fenestris
Admittit Phoebi radios pontumque coercet.
Ipsa suo moles stat pondere tuta; sub imo
Piscator gremio sedet ac vitalibus auris
Vescitur et conchas seu dura corallia carpit
Sive rates fundo mersas rimatur et aurum
Extrahit ac vectas peregrino e littore merces.

896. …
897. …
898. …
899. …
900. …
901. …
902. …
903. …
904. …
905. …
906. …
907. …
908. ..
909. ..
910. ..
911. …
912. …
913. …
914. …
915. Thomae Gray carmen Sapphicum ad amicum suum Favonium:

Barbaras aedes aditure mecum,
Quas Eris semper fovet inquieta,
Lis ubi late sonat, et togatum
Æstuat agmen!

Dulcius quanto, patulis sub ulmi
Hospitae ramis temere jacentem
Sic libris horas, tenuique inertes
Fallere Musa?

Saepe enim curis vagor expedita
Mente; dum, blandam meditans Camoenam,
Vix malo rori, meminive serae
Cedere nocti;

Et, pedes quo me rapiunt, in omni
Colle Parnassum videor videre
Fertilem sylvae, gelidamque in omni

Fonte Aganippen.

Risit et Ver me, facilesque Nymphae
Nare captantem, nec ineleganti,
Mane quicquid de violis eundo
Surripit aura:

Me reclinatum teneram per herbam;
Qua leves cursus aqua cunque ducit,
Et moras dulci strepitu lapillo
Nectit in omni.

Hae novo nostrum fere pectus anno
Simplices curae tenuere, caelum
Quamdiu sudum explicuit Favoni
Purior hora:

Otia et campos nec adhuc relinquo,
Nec magis Phoebo Clytie fidelis;
(Ingruant venti licet, et senescat
Mollior aestas).

Namque, seu, laetos hominum labores
Prataque et montes recreante curru,
Purpura tractus oriens Eoos
Vestit, et auro;

Sedulus servo, veneratus orbem
Prodigum splendoris: amoeniori
Sive dilectam meditatur igne
Pingere Calpen;

Usque dum, fulgore magis, magis jam
Languido circum, variata nubes
Labitur furtim, viridisque in umbras
Scena recessit.

O ego felix, vice si (nec unquam
Surgerem rursus) simili cadentem
Parca me lenis sineret quieto
Fallere leto!

Multa flagranti, radiisque cincto
Integris ah! quam nihil inviderem,
Cum Dei ardentes medius quadrigas
Sentit Olympus?

916. …
917. …
918. …
919. …
920. Aliquot epigrammata Raimundi Cunicii:

Quid sibi propositum habeat in satyra scribenda.
Humanas narro, vidi quascumque, libellis
Ipse meis, verso nomine, stultitias.
Sic famae parcens alienae, promere suevi
Quae nequeo tacito clausa tenere sinu.
Sic mihi ego prosum, saeclis prodesse futuris
Sic forsan possum, certe equidem studeo.

In Quintum animo semper amoris causa suspenso.
Quintus abest longe, nec possum dicere quonam
Fugerit; hoc possum dicere: Quintus abest.
Membra quidem hic video; qua mens in parte vagetur
Scit saevus miserum qui male vexat amor.

In contemptorem styli cultioris
Obscurum dicis, quod non intelligis, Aule;

Sic caecos media nox premit alta die.

.

921. …
922. …
923. …
924. …
925. …
926. …
927. …
928. …
929. …
930. …
931. …
932. …
933. …
934. …
935. …
936. …
937. …
938. …
939. …
940. …
941. …
942. ….
943. …
944. …
945. …
946. …
947. …
948. …
949. …
950. …
951. …
952. …
953. …
954. ….
955. …
956. …
957. …
958. …
959. …
960. …
961. …
962. …
963. …
964. …
965. …
966. …
967. …
968. …
969. …
970. …
971. …
972. …
973. …
974. …
975. …
976. …
977. …
978. …
979. …
980. …
981. …
982. …
983. …
984. …
985. …
986. …
987. …
988. …
989. …
990. …
991. …
992. …
993. …
994. …
995. …
996. …
997. …
998. …
999. …

1000. Theodericus Sacré in commentatione quam *de litteris saeculi duodevicesimi latinis* scripsit haec de auctore retulit:

"Hieronymus ille de Bosch, poeta Amstelodamensis, eisdem illis exeuntis saeculi annis (1793), cum novandarum rerum consilia cepissent Francogalli, carmen didascalicum, duobus expolitum libris emisit quod De aequalitate hominum inscripsit, quod nulla mora Nederlandice quoque versum in hominum manus pervenit. Quo carmine in caelum laudibus tulit civitates Americanas in libertatem vindicatas civitatiumque rectores populares Haec enim Boschius":

Te libertatis sic testor, America, matrem, (…)
Sed nova Libertas, simul ac te pristina virtus
Mergere in oceanum stridentia vincula iussit
Civis ubi aequali certat cum cive benignos
Servatae patriae populis ostendere fructus,
Lex ubi et humanos naturae temperat aestus
Atque supercilium sibi subicit omne superbum.

(II, 339, 374-375, 380-383).

(H. de Bosch, ***Carmen de aequalitate hominum*** (Amstelodami, 1793)

1001. …
1002. …
1003. …
1004. …
1005. …
1006. …
1007. …
1008. …
1009. …
1010. …
1011. …
1012. …

1013. …
1014. …
1015. …
1016. …
1017. …
1018. …
1019. …
1020. …
1021. …
1022. …
1023. …
1024. …

1025. Iuvenis Alexandri Volta versus excerpti e carmine didascalico quo de Naturalibus Quaestionibus novissimisque scientiarum naturalium repertis egit:

Hinc coepere cavae secreta per avia terrae
Infernas temptare vias caecosque meatus:
Scilicet excurrunt per subterranea castra,
Deveniant donec celsae fundamina molis.
Hic ubi castrenses fodere capacius antrum,
Pulveris aptus nitrati glomeratur acervus.
Dein patulos aditus iterum ingesto aggere terrae
Praecludunt reducemque viam retroque relictum
Passim iter obstruere et cava subterranea certant.
Tantum escâ instructum servant de more foramen,
Conceptos ut ad ima vehat, quasi nuntius, ignes,
Opportunum ubi tempus adest quo tecta sepultas
Exerat inferno de carcere machina vires.
(…)
Dant escae flammam, furit haec diffusa repente
Fomite inardescens nitrati pulveris et iam
Impatiens claustri caelo sursum undique temptat
Liberiore frui superasque evadere in auras;
Quod tandem assequitur magis obluctante renisu
Exacuens iram; praecelsam hinc funditus urbem
Eruit. (…)

1026. …
1027. …
1028. …
1029. …
1030. …
1031. …
1032. …
1033. …
1034. …
1035. …

1036. Locus excerptus ex opere cui index ***Specimen de Fortuna Latinitatis***:

…

Habetur nimirum in praestantissimis libris quasi lydius lapis, quo aurum a metallo viliori diiudicetur: habentur et acutissimae criticorum sententiae, quarum ope factum est, ut non pauca nec parva in antiquissimos auctores artificum errore insinuata censores nostri, quod audacissimum videri potest, rite varianda aut expungenda susceperint, et divinationem suam, quod admirabile dici debet, fide codicum, qui dudum reperti sunt, splendidissime comprobarint. Ecquae per fidem vestram , ecquae alia est lingua, quae tam certam placidamque in stationem pervenerit?

Dicemus igitur rem fortasse inauditam sed certe non contemnendam, linguas nimirum, quae familiares aut viventes appellantur, usu quotidie perfici, usu ipso temerari: linguam vero latinam auctorum principum numero, consensione et fama stabilitam, nullo novo arbitrio, novo iure , nova forma coerceri, et inconcussis ab Augusto fundamentis ita inniti atque ita vivere, ut et vita fruatur perenni et nulla vitae mutabilis detrimenta patiatur.

Vigebat ad seculum XVIII latinitas in academiis, in actis sollemnioribus, in omni genere liberalium disciplinarum. At, postquam hanc eius praestantiam aegre ferre iam coeperant quidam non vulgares nec indocti viri

...

Gaudeant igitur omnes linguae, quibus utimur, honore non dissimili et sine ulla invidiosa dictatura: diligamus privatim unusquisque nostrum alteram aut alteram linguam, quam pueri, vel iuvenes didicimus, seniores perdendam negamus, nobisque in patria vel peregre commodiorem experimur; sed quoniam indignum vel periculosum esset linguam, quam publicae utilitati voveamus, e recentioribus eligere, restat, ut in veteribus diiudicandis breviter immoremur.

…

et potius dicemus, linguam graecam, licet illa sit omni divitiarum genere referta, carere quibusdam dotibus quae latinam vehementer commendant. Haec porro vel mediocri sub praeceptore facilior: haec et opibus suis et graecis spoliis et tot tantisque rerum antiquarum adminiculis ornatissima: haec multo minus obsoleta et minus a rebus hodiernis aliena: haec et hodie et quotidie ita magis didita, ut possit non solum sine invidia linguis recentibus, sed etiam sine iniuria veteribus anteponi.

…

Quid plura? Eramus, quod erant in tota Europa christiana prope omnes aetatis nostrae adolescentes, qui ante odium in scholas latinas conceptum ad gravissima quaeque studia crescebant pares, et quorum quamplurimi rem publicam literariam et civilem sui nominis fama compleverunt. Poterunt, ita enim credimus et speramus, poterunt scholae publicae, ut omnia humana instituta, sensim fieri experiendo meliores; patent tamen et hodie, quae iustis parentum votis religiose facileque respondeant. Commendetur igitur idoneus idoneo doctori discipulus : schola pueris esse solet non carcer quem oderint, sed ludus quem libentissime quaerant.

…

Quum a XIII ad XVIII saeculum frequentissimis christiana societas ornabatur hominibus, quorum haereditate patrimonium nostrum ampliatum est, latine passim scribebatur de argumentis populari ab intellectu sensu que semotis.

…

Prodibant e quavis Europae parte scriptcres latini, qui doctrinam reconditis ex artibus dimanantem omnium gentium optimatibus consecrabant; et idcirco sine mora, sine tot miserrimis ex altera in alteram linguam versionibus et sine supervacanea iamque intolerabili librorum proluvie, sapientes cum sapientibus a Thamesi ad Istrum, et a Scandinaviae finibus ad Siciliam et Sardiniam colloquebantur. Fuerint illis etiam temporibus nonnulli viri spectatissimi qui de aliqua insigni quaestione insolitam aliquam ob caussam latine non scripserunt. Illud tamen certissimum est, eos e maioribus nostris, qui sibi latinitatem apud gentes interpretem esse voluerunt, scientiae commodo et sibimetipsis egregia cum laude prospexisse. Dicesne barbara fuisse illa tempora? aut latino in labyrintho periisse tot immortales illorum temporum homines, qui physicis et mathematicis, iurisperitis et philosophis omnibus perpetua daedalea fila elaborarunt? aut tenebras tunc tandem evanuisse , quum Encyclo pediae gallicae titulus nostras aures implevit ? Habeat suam sibi opinionem, qui opera olim pretiosa dedignatus, collectiones hodiernas nihil non promittentes aucupatur, paucisque mensibus et sine ullo improbo labore ad omnem litterarii nectaris suavitatem perventurum se sperat. Ille autem, qui nova omnia, etiamsi faciliora et delectabiliora videri possint, sine amore et sine odio existimat, speciosis quibusdam illecebris sese irretiri non sinet, et libens nobiscum precabitur , ut ad evitandam babylonicam aliquam novam linguarum perturbationem illud iterum non displiceat, quod non sine communi gentium utilitate nec gravi sine causa tot saeculorum decursu placebat.

Sed, si quis, qui latinitatem ignorat, sciscitetur, quo modo latinum fieri poterit earum rerum nomen, quae nunquam antea innotuerant; ea, respondemus, id fiet arte, quam latinitatis periti nec difficilem nec temerariam esse sciunt, quamque recentissim etiam physici sine ulla doctorum hominum querela adhibuerunt atque adhibent. Iuvat vocem aliquam vel graecam vel hodie ab aliquo auctore non latino propositam pru denter et belle sic inflectere , ut civitate latina donetur ; nec nos, quum hac rara necessitate premimur, illud tentare pudet , quod saepissime sagaciterque a maioribus perfectum est. Latine et satis latine scribebantur disputationes severissimae de iure publico, poëmata didascalica ad pulchritudinem veritatis nobilitandam, demonstrationes difficillimae de studiis mechanicis, hydraulicis, opticis et astronomicis: breviter et graphice pingebantur vegetantia, fossilia, animalia: facillime vulgabantur leges Keplerianae et prima tubi Torricellini prodigia: evidentissime narrabantur experimenta de vi electrica, de vi magnetica, de actione caloris, de multiplici corporum aëreorum fluidorumque natura. Si heri, cur non hodie, cur non cras? An latinitati an scientiae aliquam turpitudinis notam inuri diceremus, si ageretur de cuspide Frankliniana, de pila Voltaica, de Vrano, de Platino aliisque nominibus simili vel etiam meliori artificio in latinitatem et scientiam ingerendis? Atque utinam res novae quae novo nomine suo digniores apparent, non designarentur nisi latino vel latine instituto vocabulo! Tunc enim quaeque gens hoc unicum vocabulum haberet ante oculos , quod suae linguae suam ad normam temperatum insereret; nec cogeremur multarum gentium modis a nostra lingua abhorrentibus nativam loquendi scribendique proprietatem contaminare. Quacumque ergo e parte hanc quaestionem inspexeris, non indignabere profecto, si optimum in quavis altiori scientia consilium fore opinemur, ut scita paucis inquirenda latine scribantur. Iusta esset indignatio tua, si quis vellet , ut doctores , quotquot sunt , omnes latinis in elegantiis consumerentur. Fuerunt procul dubio philosophi et physici, qui excelluisse dicti sunt et scientiae et latinitatis causa; sed, nisi quem eorum laboriosa potius vanitas, quam veritatis propagandae studium abripiat, satis eum et sibi et humanae societati consulturum affirmamus, ubi laborem non difficilem suscipiat legitime honesteque scribendi. Sunt enim quaedam, in quibus vel latino vel quocumque stylo exaratis non iucunditas, sed doctrina et severitas expectatur.

1037. …
1038. …
1039. …
1040. …
1041. …
1042. Distichon cui index ***Volucres***:

Fortunatae anates quibus aether ridet apertus,
Libera in lato margine stagna patent!
Nos hic intexto concludunt retia ferro,
Et superum prohibent invida tecta diem.
Cernimus, heu! frondes et non adeunda vireta
Et queis misceri non datur alitibus.
Si quando immemores auris expandimus alas
Tristibus a clathris penna repulsa cadit.
Nullos ver lusus dulcesve reducit amores,
Nulli nos nidi, garrula turba, cient.
Pro latice irriguo, laeto pro murmure fontis,
Exhibet ignavas alveus arctus aquas.
Crudeles escae, vestra dulcedine captae
Ducimus aeternis otia carceribus!

1043. …
1044. …
1045. …
1046. …
1047. …
1048. …
1049. …
1050. …
1051. …
1052. …
1053. …
1054. …
1055. …
1056. …
1057. …
1058. …
1059. …
1060. Primi versus carminis cuius titulus est ***de vehiculis vapore motis***:

Quisnam terrigenis tanto dedit impete et ausu
Accelerare gradus, ut parvo tempore longos
Terrarum tractus atque infinita profundi
Aequora percurrant maris, et nova litora quaerant?
Queis avibus ventisque citis et fulminis igni
Quantumvis rapido valeant contendere cursu,
Et quo mens fertur, corpus cum mente feratur?

Quod quidem carmen propius accedit huic *De lebetis materie et forma eiusque tutela in machinis vaporis vi agentibus carmen didascalicum* inscripto, in **Certamine Amstelodamensi** aureo honestato nummo.

1061. …
1062. …
1063. …
1064. …
1065. Textus litterarum encyclicarum quarum initium est Rerum Novarum:

Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. - Revera 1) nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes : 2) mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae : 3) divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia : 4) opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos : denique ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam caussa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius. - Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussa et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos Litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum fallacias opportuna videbantur, idem nunc faciendum de conditione opificum iisdem de caussis duximus. - Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus : in his tamen Litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici muneris conscientia monet, ut principia emineant quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur.

Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur.

Utcumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur.

Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, 1) cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. 2) Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem; 3) huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile jugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

Ad huius sanationem mali Socialistae quidem, sollicitata egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Eiusmodi translatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo : eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

Sane, quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque jure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias : ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parcimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induta speciem : propterea que coemptus sic opifici fundus tam est in ejus potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre Socialistae ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

Verum, quod maius est, remedium proponunt cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas, ius est homini a natura datum. - Revera hac etiam in re maxime inter hominem et genus interest animantium ceterarum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque duplici naturae instinctu : qui tum custodiunt experrectam in

eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt : nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. - Longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humana natura inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque jure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

1066. …
1067. …
1068. …
1069. …
1070. Primi versus carminis cui index **Xiphias**:

Arma canant alii et saevi discrimina Martis
Sublimi certent ad sidera tollere cantu:
Ast ego, non ausus sanctos recludere fontes
Castalios, tenui carmen meditabor avena,
Scyllaeas inter cautes, prope litoris undam,
Callida fluctivagi referens certamina piscis,
Nautarumque dolos et non lacrymabile bellum.

1071. …
1072. …
1073. …
1074. …
1075. …
1076. …
1077. …
1078. …
1079. …
1080. Versus aliquot excerpti e carmine a Petro Esseiva exarato quod inscribitur ***Via ferrata***:

Ferri aerisque rigens stat monstrum immane metallo,
Terra et Vulcano partum, nova forma Chimaerae
Ferreis fulta rotis, cui perpetuo ordine centum
Vincti a tergo haerent ingenti pondere currus ...

... Tum stridula sibila ventis
Crebrescunt scissis ...

Tum quoque nigrantem fumum mixtasque favillas
Evomere et tardo primum discedere motu;
At citius citiusque fugit stimulo excita caeco, -
Agmen agens currum: fert impetus ipse ruentem,
Emensumque atra spatium caligine signat ...

1081. …
1082. …
1083. …
1084. …
1085. Caroli carmen sapphicum in primo libello ephemeridis cui index *Alaudae*:

Maeret hoc fanum. Domus est relicta.
Non venit, qui sacra ferat, sacerdos.
Et mihi Divûm videor videre
celsa sepulcra.
O levis circumvolitans hirundo,
Sola tu templo super es fidelis ?
Quid canis ? - Magnis cano de columnis
interituris.

1086. …
1087. …
1088. …
1089. …
1090. …
1091. …
1092. …
1093. …
1094. …

1095. Carmen Michaelis Antonii Caro cuius titulus ***Ad ventulum***:

Quas, magica arte potens, membris das, ventule, vires
Flamine cum mulces tempora nostra tuo ?

Unde venis vagus et placidus, quove impete pergis
Qua residere paras, qua statione mori?

Tu flores lambis, frondes quatis, aequora crispas,
Optata erranti nec datur ulla quies ...

1096. …
1097. …
1098. …
1099. …
1100. …
1101. …
1102. …
1103. …
1104. …
1105. …
1106. …
1107. …
1108. …
1109. …
1110. Ioannis Pascoli carmen ***Thallusa*** inscriptum in certamine poetico Hoefftiano praemio aureo honestatum:

Implicitos dextra pueros laevaque trahebat
serva duos, haud invitos sed saepe morantes.
Nempe morabatur nunc auro forte taberna
effulgens atque armillis bullisque catellisque...
«Heus» puer exclamat paulo maiusculus «adsta
paulisper. Viden, ut bellum, Thallusa, monile?
Unde securiculae pendent argenteolae, falx
parva quidem, sed habet similem Phoenix et eandem
vinitor, ensiculus quam pulcher, lunula, mallei
pauxilli, tum claviculae, tum forficulae, tum
serriculae, tum... quid? quae res est? Euge papae! Sus.
Ut pura ac puta est ipsissima sucula visu!
O si tam lepidam, tam parvam, mater emat mi!»
Omnia pupillis tacitis sibi vindicat alter
sistraque praedatur crepitacillisque potitur
attonitus. Manet ipsa inhians ancilla nec umquam
aureolis a capsellis oculos deflectit,
cum subito: «Quin, errones, hinc pergitis? Eia!
Nil refert vestra me caedi verbere, dum vos
placet suaviolis emptura crepundia mamma».
Abstrahit in verbo tacitos sursumque tuentes
iratam. Mox subsistunt. Odor allicit ambos
mellis, et impositae mensis fumantibus offae
atque abaci vitreis fulgentes undique vasis.
Consistit Thallusa sui velut immemor. «Assem
sacculus hic habet: ibis, emes tibi, si libet, unum
ex istis...» Monstrans adipata minusculus haec mox
balbutit puer «i: numquam tetigisti crustula, quo nil
dulcius». Haec dicens Thallusae porrigit assem.
Mulcet serva caput puero. «Lucille, quid» inquit
«offers non adeo parvae bellaria servae?
Haec ede tu: rodant haec mures dulcia dulces».
Ac subito lacrimas effundens abstrahit ambos
et dextra laevaque manus premit aegra pusillas
valdius, ac «Pueri, properandum est;» inquit «eamus!
Quam metuo mihi ne redeat maturius Ipse
ac iam poscat aquam!» Carpunt hinc prorsus iter; tum
nec respectantes pueri nec plura loquentes
festinant, binisque tolutim passibus aequant
singula Thallusae vestigia. Multiplicem dant
suspensae sonitum laeva de parte tabellae,
et crepat in loculis succussus calculus ictu.

Sed pater a summo Iano iam scriba domum se
rettulerat praeter solitum, contractior hirtum
fronte supercilium; pultantique ipsa reclusit
Gaia fores, tollens infantem protinus ulnis,
lactantis tecto mammae vix ubere: cui vir:
«Tune fores nunc custodis? Quo serva mihi se
proripuit? Puerosne domum, si forte, reduxit?»
«Nondum, sed iam iamque aderit. Nam longius est hinc
in ludum...» «Dicis mulier de more benigne:
nil tamen est opus: extremum est quod sera redit». «Qui?»
«Venit». «Rem vix credibilem narras». «Age, quaeso:
tu perferre parem sibi numquam muta valebas?
Nam modo turricula lusisset cum pueris et

ligneolam filis duxisset commoda larvam,
tum procul arcebat despectans torva, nec illos
plectere parsisset... Sed tergo salsa cavebat
ipsa suo. Nunc rebaris placidamque beatamque,
eiusque implebat cantantis nenia tectum,
mox tetricam plane rugis oculisque rubentem
servabas». «Verum frugi est patiensque laboris,
et caros pueros habet et pueris est cara». «Vide, sis.
Hoc ipsum timeo nimium ne cara». «Quid istud?»
«Quid si servilem Chresti proba serva sequatur
sectam? Scis pueros quibus illecebris, quibus escis
decipiant...» «Istud non sit mihi credere». «Crede.
Dum ne praesciscat se iam venire. Facesso
hinc egomet. Cenare foris non est mihi moris:
sed me paene Labrax occidit saepe vocando,
et iuvat obsequio ditem lenire danistam.
Iamque vale». Labris tenuit primoribus uxor
nocte Bonae facienda Deae sacra; se face prima
vicini de more domum pistoris ituram,
quo matres apud uxorem gnatasque coirent
sacrificaturae. Quae dicere multa volentem
egrediens vir destituit iussamque valere.
Adstitit illa domus anceps in limine, gestans
ulnis infantem, quoad «Huc huc respice mamma!»,
audiit et cursu pueros excepit anhelos
ore sinuque duos, laeva removens Tertullum.
Dulces complexus limis Thallusa tuetur.
«Iam Thallusa dapes nobis apponet. Adest nox,
Ipse foris cenat». Tabulas loculosque resolvunt
ex umeris pueri. Discumbitur. Ecce patellis
fictilibus cyathisque sonat balbisque loquellis
atriolum. Pueri narrant, accommodat aures
nec quidquam exaudit sed percipit omnia mater.
Quae didicere, docent. Maturis frugibus, ipso
mane satis, delectantur sub fine diei.
Vix epulas mater tenues delibat et ipsam
infantis se libandam dat lenta labellis.
Absenti similis cenam Thallusa ministrat.
Interea puer alter hiat, puer oscitat alter.
Qui tam magna leves viderunt nuper ocelli,
visuri maiora natant, nictant, conivent.
Dulci laxatus fonti teres adiacet infans
et velut occulto permulsus murmure dormit.
Iunceus hunc linter, capit illos lectulus ambos
unus, et in toto conclavi iam super una est
quae vigilet tacito, ne laedat, lumine lampas.

At mater dum compta parat iam linquere limen
Thallusanque monet multis, repetitque, nec audit
mussantem, in lacrimas effusam respicit. «Heu! qui
hic dolor est?» inquit «quae te nunc cura lacessit?»
Tum, clausis iterum foribus, cognoscere causas
tentat et ignotum miserae lenire dolorem.
Singultim Thallusa loqui conatur et aegre
respondet: «Quid tu, si ne Deus ipse potest?» «Qui?»
Illa silet. «Mihi sacra Deae nocturna necesse est
ferre Bonae. Forsit Bona te Dea sospitet. Euge!
Iamque abeo. Vigila, pueros ne forte relinquat
somnus, et incessat lemurum metus. Est bene plenus
pupus lacte meus mihi; quod si vagierit, tu
et cantu fer opem, quam tu potes, et quate cunas,
dum redeat, nec erit mora longa, quod appetitit, uber»
Haec geminans exit. Tum secum sola repente
exsilit, et vultu iacit haec Thallusa ferino:
«I felix! Tibi sic Bona prosperet, ut Bonus aegrae
ille mihi! Rediens tu sic cunabula visas,
ut rediens egomet, dulcique fruaris alumno
non magis atque egomet, cui frustra lacte tumentes
abreptum puerum non invenere papillae.

Quem quo tum cessisse rear? quo lacte quibusque
blanditiis altum, quas artes discere, quas iam
ferre minas, quae probra pati, quae verbera dicam?
O multo me conserva felicior ipse
qui binis annis tantum mihi nomine coniunx
es datus ad mortem quamvis innoxius! Heu me
non adspexisti communem quaerere natum
nequiquam! Iam nec bona quae me verba docebas
solantur. Credo, moriar quandoque, resurgam:
parve puer, te non in primo flore videbo,
cum risum risu tentabam promere primum.
Me nescit matrem, mihi qui non riserit umquam!
Hic luctus fauces inconsolabilis angit.
Nil contra Deus ipse potest, nil ipsa potest mors».
Haec reputans irae rursus cessisse dolorem
sentit et increpitat tacitis cunabula verbis
et pupum totamque domum dominamque beatam
et dulces pueros famulae bene corde volentes.

Dum furit et cunctos optat vanescere flammis
seque una, tenui tintinnant, ut putat, aures
murmure, mox agni tamquam sine matre relicti
vox animum temptat. tremibundo palpitat omnis
vagitu domus. Infelix Thallusa, vocaris!
Novisti vocem. Matrem vox illa vocat te.

In somnis pueri conspecta crepundia, bullas,
ensiculos perquam parvo mercantur ovantes,
aut omnes deinceps scriblitas, liba, placentas
prorsus emunt nec edunt cupidi tamen. Ut prope lectum
serva levis venit, pueris semihiantibus albas
demulsit frontes et sparsum rore capillum:
illi compressis palpebris «Mamma!» susurrant.
Pergit ad infantem queribundum serva nec illum
tranquillare valet quatiens cunabula balbisque
infractisque sequens fluitantem vocibus alveum.
Namque heu! fluctivagus capit aegrum lembus homullum,
nil supra servi, nil infra regis alumnos,
cuiusvis opera, cuiusvis rebus egentem.
Tum sonat ex animo qua iam sedare suum, qua
abreptum puerum suerit sopire querela.
Idem vagitus, puer idem, mater eodem
naviculam pellens solatur carmine nautam.

Ocelle mi, quid est quod vis apertus esse?
Nihil potes videre, namque iam cubat sol,
nec aureum grabatum luna pigra linquit.
Genis tuis tegaris: plusculum videbis.
Lalla! Lalla! Lalla!

Ocelle mi, quid est quod usque me tueris?
Dolesne quod dolentem cernis, inque, mammam?
Sum servuli quidem vix mater, ipsa serva.
Genis tuis tegaris: liberam videbis.
Lalla! Lalla! Lalla!

Ocelle, qui tueris usquequaque lugens
velut foras ituram perdite procul me...
noli tuam perisse tunc putare matrem:
genas tuas remitte, semper et videbis.
Lalla! Lalla! Lalla!

Flet Thallusa canens, aeque memor, immemor aeque.
Ecce puer leni pacatus momine cymbae
et dulci cantu, iam cessat flere nec idem
singultit: tranquillus hiat patulisque canentem
sub tremula lychni flamma miratur ocellis.
Tum stupet in varia, quae lumine lampadis icta
labilis a cilio Thallusae pendet et ardet,

lacrimula. Tandem crispatur buccula. Ridet.
«Ridet!» ait Thallusa furens, oblita sui, nil
percipiens oculis aliud, nil auribus, omnis
in puero, risum lacrimans, deperdita «Ride!
Coepisti tandem risu cognoscere matrem!»
Mater adest sed vera redux auditque loquentem.
«I cubitum: primo cras surgas mane necesse est».

Primo mane domo servam novus emptor abegit.



EIDOLON HELENAE

Otium, Valeri, tibi molestum est.
Somnias vigil atque vana captas
nubila, aera solitudinemque,
seu quid vanius est inaniusque.
Namque femina non id est, quod ipsa est,
sed quod esse cupis, quod esse reris
tute eam; tibi non amatur ipsa,
sed tuae mera mentis umbra quaedam.
Idaeaque Helenen trahis biremi,
concupiscis, haves, amas, potiris,
pugnasque et cruciaris interisque:
tu quidem excruciabere et peribis:
in Pharo latet insula puella,
quam verax habitat senex marinus
Tum, Valeri, certas aequatam currere ceram.
It manus et metam velox evitat et addit
in spatia: inversa buxum conscribitur hasta.



LUNA
Luna, quae vaga vertici
montis et tacitis casis
inmines et anhelitu
lucidos legis amnis,
te canam miseris piam,
Luna, nam simul occidit
Sol et aurea cum die
Spes hinc avolat omnis;
non eam sinis exsulem
tunc abire, sed excipis
candido trepidam sinu

vestis, Luna, vietae;
induis trepidae tuum
lumen, atque silentiis
rosidis madidam tuis
huc Spem, Luna, remittis:
facta quae leve Somnium
clausas ingreditur domos,
exilisque, ope qua solet,
dormientibus adstat.
Haec tu, Calve, supervolitans levis aequora cerae.

1111. Theodericus Sacré, in commentatione de litteris Latinis ad prius bellum universale pertinentibus, hisce verbis summatim exposuit carmen illud commoventissimum quo auctor filium suum in bello occisum commemorat:

Iosephus Bradney Cambriensis sive Anglus natione, … una cum filio in fossis Flandriae Occidentalis et Galliae septentrionalis dimicavit, eundemque filium nomine Valtharium ad finem iam vergente bello interemptum doluit; currus enim loricatus, quo ille vehebatur, pyrobolo ictus est atque igni absumptus. Versus de casu hoc funesto satis rudes, si ad artem respicias (iam id ipsum, quod poeta hendecasyllabos cepit, admirationem mihi movet), sed flebiles ac miserabiles panxit Bradneius pater:

Natu proximus ex meis fuisti,
Tu carissime quinque liberorum,
Quos uxor mea cara parturivit.
Valde te memini rubrum capillos
Longos, qui similes iubae leonis
Aut solis radiis caput colebant.
Te bellum puerum et tuas sorores
Binas, te comitantibus duobus
Bellis fratribus, arva pervagantes
In mentem revoco facetiarum
Plenos et iuveniliter iocantes.
Nondum te cruciaverat molestus
Morbus, ceperat aut mala aegritudo.
Sano in corpore sana mens regebat
Vitam. Tum subito malignus Hunnus
Bellum indixit, et apparamus arma.
Cepisti arma, nec ulla detinebat
Te cura aut timor, at cohors equestris
Accepit tua vota sacra regi.
Mox mens te tua duxit ad novas res.
Troiae nos revocamus acta bello;
Instar montis equus fuit diebus
Illis. Ast hodie caverna multa
Cisternae similis per arva caedem
Infert hostibus et necem cruentam.
Cisterna in calida fere perustus
Vitam pro patria tua dedisti.
Quanta est gloria fortiter cadenti!
Nos desiderio movemur alto;
Discessit mea lux domusque nostrae'

1112. …
1113. …
1114. …
1115. Duo carmina eius auctoris quae Theodericus Sacré, egregius ille litterarum omnis aevi pervestigator, ab oblivione vindicavit ediditque in commentatione cui index *Laurentii Rocci* (1864-1950) *fabulae de bello omnium gentium priore aliisve de rebus recentioribus scriptae*:

Iuppiter, Titan et Mons glacie concretus

Titan navis erat summae magnitudinis
Iisque rebus cunctis ornatissima,
Quas fastus populi valde clari opulentia
Potuerat congerere. Europae de litore
Petens Americam, quinque dierum circulo
Se dixit perventurum, non ipsum Iovem
Iter umquam posse praepedire fulmine.
Iratus Iuppiter: "Hunc ego", ait, "spectaculum
Meae faciam vindictae, nec tamen operam
Impendam fulminis." His dictis celerrimum
Ministrum accersit de Cyllenes culmine,

Cui talia mandat ex Olympi vertice:
"Mons glacie concretus, hyperboreis ex locis,
Natans descendat, et iam iam terras procul
Titana prospicientem, mole ruens sua,
Ceu cuspide belli, nigram feriat ad necem."
Iussa facit uterque: cumque ictu fractus gravi
Ad ima vergit Titan, Mons ita reboat:
"Iustitiam discant homines nec temnant deos."

Lampȳris et vulpes

Cum Martis ingens debaccharetur furor,
Ne castra noctu paterent hostibus,
Locis in apertis usum quemque luminis
Duces vetabant. Non tabacum tortile
Palam licebat sulphurato accendere,
Quamvis forent defessi pugna milites;
Ipsisque in urbibus a lampadis electricae
Usu plerumque temperabant incolae.
Talia lampȳris cognovit, et ipsa voluit
Suum occultare lumen, se abdens messibus.
Vulpes per campos errans illam conspicit
Miransque interrogat ecquid per nigrum aera
Non volitet, ut soleret, ludens et micans.
Hostibus, ait illa, nolo signum ullum dare.
"Amica, ne superbe de te sentias:
Nam tua profecto tanti non est flammula,
Ut ullus inde patriae nascatur timor."

1116. …
1117. …
1118. …
1119. …
1120. …
1121. …
1122. …
1123. …
1124. …

1125. Carminis Alphonsi Mariae Casoli ***Ignorati luctus*** inscripti excerptum quoddam:

'Ite', aio, 'celerique (precor) properate volatu
Quo vos qui excipiat barbarus Afer erit.
Barbarus ille quidem, sed forsan nomine tantum;
Barbaram at, Europe, te tua facta probant.
Quod si tantus amor vos nostras rursus ad oras
Impulerit, volucres, vere redire novo,
Tum nemora et saltus, tum laeta requirite prata,
Tum virides ripas caeruleosque lacus.
Omnia laetitiis hilarique agnoscite cantu,
Omnia festivo concelebrate choro;
Et pecudes et aves alias salvere iubete,
Non homines …: fuimus! Nunc fera monstra sumus.

1126. …
1127. …
1128. …
1129. …
1130. Exardescente priore omnium gentium bello, in *Annalibus* quibus de recentissimis rebus sermone Latino lectoribus referebatur in commentariis periodicis quibus index *Alma Roma*, Poplicola quidam, quem Theodericus Sacré Iosephum Fornari esse existimat, haec magna cum tristitia scripsit:

Animus hodie scribere horret luctuque refugit: in eo enim discrimine sumus, quod fortasse numquam historia vidit. Ecquando namque in Europa omni immane belli incendium ut hisce diebus conflagravit? Quod si unius anteacti vix saeculi memoriam revocaveris, tum in unum hominem Europae gentes, Russi, Austriaci, Borussici, Angli, Suedi, Iberici coniunctim agebant; nunc ex adverso Europa in duos campos dividitur, quorum in altero Germani praepollent, Slavonii in altero, atque in formidabile stirpium nationumque certamen per iram inconsulto se ingurgitat, unde effectus ii facile oriantur, qui non regnorum tantum fines et ditionem, sed ipsum populorum animum et humanitatem tot tantisque laboribus partam subvertere valeant.

Alibi vero, Idibus Octobribus anni 1914, haec Poplicola retulit:

Bella nostris diebus haud diutius, ob omne genus maxime tormentorum inventum, duratura nonnumquam audivimus; tristes, e contrario, eventus docent nihil aliud quam hominum immanius exitium saeviter inde parari. Ita factum est ut, post menses duos iam inter clades actos, bellum quod Europam omnem directe aut indirecte vexat nedum ad finem

properet, neutiquam ulla vi extenuetur. Trifariam praecipue nunc pugnatur: inter Germanos et Gallos; inter Germanos et Russos; inter Russos et Austriacos.

1131. …
1132. …
1133. …
1134. …
1135. …
1136. …
1137. …
1138. …
1139. …
1140. …
1141. …
1142. …
1143. …
1144. …
1145. Versus excerpti e carmine cuius titulus: ***Gallus et Lycoris***:

Emicat aspiciens urbem celsasque colummas
iam sol. Ecce forum, caeco succensus amore,
ingreditur Gallus. Quid vult? Quam deperit ille?
Pectore correpto, quae nunc est verba locutus?
En subito tenera compellat voce Lycorin.
En oculos tendit collustrans limina templi
Pollucis, nitidum quod structo marmore surgit.
En aures praebens tacitas interrogat auras.
Nil videt inspiciens, avida nil percipit aure.
"Nonne fidelis heri dixit:— Cras, Galle, redibo:
ipsa forum repetam primo sub lumine solis?"
Sic memorans revocat fatuae promissa Lycoris
porticibusque vagis discurrens quaerit amicam.
…
Visne meos promam sincero pectore sensus?
Iam, nimiae iam me ceperunt taedia laudis;
iam mihi spernenti quae profers munera sordent.
Si placidos mores servas animumque benignum,
desine carminibus miseram torquere molestis!"
…
Dirus Amor deus est; saevas domat ipse leaenas?
En domuit te, Galle miser; non ille Lycorin,
quae veluti aegaeo cautes obiecta furori
stat". "Simulans vana spe me delusit amantem.
Quid loquar? Ah demens! Precibus nec dura movetur,
nec rapitur donis grato quae pectore misi.
Nunc rubeo, indigno quoniam prosternor amore".
Euge novos, recolis dum Musas, indue mores.
Intendens animum studiis et rebus honestis,
o memori fama tandem rem confice dignam!
Ingenuis quae proveniunt ex artibus, ipse
appete delicias vitamque require serenam,
posthabita vana, ingenio qui praeditus alto.
Tu praestans primoque viges tu flore iuventae;
nee facilis deest vena tibi, nee fervidus oestrus.
Ast alio nunc mens hilaris vertatur, amice.
…

1146. …
1147. …
1148. …
1149. …
1150. Hermanni Weller carmen praemio Hoefftiano honestatum, cuius inscriptio est ***Y***:

Paulō leviōra canāmus...

Vīnifer Auctumnus silvās ubi vīsit et hortōs
Arvaque laetificā veste decōrus adit,
Tunc calamōs tenuēs inflat, sua regna peragrans,
Effunditque novōs fistula mīra sonōs.

Blandaque dum magicī resonant modulāmina buxī,
Assūmunt faciēs omnia versa novās.
Flāvet acer, virgulta rubent, nitet aurea fāgus,
Nec manet, in rēbus quī fuit ante color.
Est plaga lūcidior, tanquam sine pondere surgunt

Ē tenuī nebulā culmina summa iugī.
Auctumnō leviōra placent: mortālibus ipsīs

Quod premit ingrātum pectora dēmit onus.
Efficit, ut coctī tumeant sub sōle racēmī
Pictaque iam dominō rīdeat ūva suō.

Undique tunc hilarī fervet vindēmia cantū
Et fluit ē prēlīs per loca dulcis odor.
Tunc nova musta iuvant, dēlēnītīque Lyaeō
Nūminibus laetīs omnia plēna putant.
Mē quoque cum turbā celebrantem festa sodālī

Vinxerat haud dūrā compede dulce merum.
Ē bene collūtō dederāmus gutture cantūs;
Omnis erat nostrō cūra fugāta chorō.
Afflātusque merī generōsō nūmine, tandem
Constituī sērā nocte redīre domum.

Lūna super domuum fastīgia celsa nitēbat;
Splendor in hōc nunquam lūmine tantus erat.
Orbis erat plēnus, potuit faciēsque vidērī
Rīsū dīdūcens ōra serēna levī.
Quid, dea, subrīdēs? Num tē quoque vīcit Iacchus?

An quia, proh, titubat proxima quaeque domus?
«Stāte, domūs», dīxī, «quaesō, paulisper; amīcae
Parcite, quae dulcī pressa sopōre iacet.
Ōdit enim blandōs sibi rumpī *Lȳdia* ***somnōs;***
Nōvimus: expertō crēdite; stāte, domūs!»

Sed mihi submissē recitantī *"Lȳdia*, ***dormis?"***
Illius occurrit praeteriitque domus.
Iamque meōs vīdī procul occursāre Penātēs:
Vae, labor Herculeus perficiendus erat:
Nōn ita difficile est cymbās intrāre vehentēs

Ut, quae diffugiant, dētinuisse forēs.
Sed quem dulcis Amor regit et Iovis ēbria prōles,
Est sacer et tūtus, sit via dūra licet.
Et validās aperīre forēs mihi contigit atque
Scālārum lēvēs exsuperāre gradūs.

Pervēnī – licet offensō pede saepius illīs –
Lassulus ad thalamī molle cubīle meī,
Ille fuitque animus mihi, quī solet esse probātō
Aurīgae, dubium cuī bene cessit opus.
Nec mihi displicuit, quod ibī mūtāverat arte

Omnia mīrificē fulgida Lūna suā.
Ecce vidēbātur tōtum radiāre cubiclum
Clāraque prō sērā nocte redisse diēs.
Conclāvis pariēs speciōsaque pallia lectī
Lacte renīdēbant candidiōra mihī.

Quī liber in mensā revolūtus forte iacēbat,
Illīus poterat vincere charta nivem.
Nec mora, tentāvī nōtās percurrere chartās:
Et poterat quaevis littera parva legī.
Perlectō versū recitāvī *"Lȳdia*, ***dormis?":***

Lȳdia, ***vox fēlix, quam mihi dulce sonās!***
Gemma nitēns decus amplificat spectābilis aurī,
Tūque per ȳ tantum nōbilitātis habēs.
Nōn ego iam potuī tenerum sēpōnere librum,
Cuncta mihī quamvīs languida membra forent.

Conscendī positā gemebundum veste grabātum
Et lēgī solitō cētera mōre cubāns.
Languentēs oculī cecidērunt saepe legentī,
Nūtāvit victum saepe sopōre caput,
Saepe torō lapsūrus erat manibusque libellus,

Suntque simul vīsae dēlituisse notae.
Sed tamen obstitimus: nōndum vigor omnis et ardor
Cesserat ē membrīs ingeniōque mihī.
Utque reluctābar, fugientia signa redībant,
Et poteram digitō fluxa iuvante sequī.

Ac sua pugnantī duplicāvit lūmina Phoebē,
Blandaque erat, studiīs tālibus apta, quiēs.
At quid id est? Heu, quaeque suō iam littera cēdit,
Ecce, locō, suētam dēseruitque vicem.
Mīra loquor: citus ut pūlex haec exsilit, illa

Forficulae similis margine lapsa cadit.
Plūrima pars, levium velut agmina formīcārum,
Turbida per lectī pallia tōta ruunt.
Pallueram, quidquidque mihī superesse comārum
Glōrior, arrectum, proh, stetit omne metū.

Namque meae mentī celeberrima monstra subībant,
Quālia rex quondam vīderat Oenopius,
Cum nova Myrmidonum tribuisset corpora summus
Nūmine formīcīs Iuppiter ipse suō.
Nec falsō metuī: sī nōn ibi corpora vēra,

At quaedam licuit cernere membra mihī:
Hostīlēs oculōs frendentiaque ōra movēbant
Nec nōn cum manibus bracchia parva suīs.
Iamque suam quaevīs ēmīsit pāgina turbam,
Parsque meās – heu, heu! – iam petiēre manūs.

Ēmicuī lectō rabidus nimiumque procācēs
Excussī: strīdens dēcidit atra cohors.
Sed doluit – licet insidiīs exempta – diūque
Haec mea prūrītum sensit, ut usta, manus.
Iam lectus iamque omne solum, iam mensa locusque

Quīlibet indomitā peste refertus erat.
Murmura confūsae resonābant undique turbae
Et simul argūtīs sībila mixta sonīs. .
«Fallor, an hīc» dīxī «venient cīvīlia bella,
Et mē dē mediō cēdere tempus erit?»

Et cessī, quantum licuit. Iam virgula clāvae
Esse locō patitur punctaque iacta volant.
Turma premit turmam; magnī procerēsque labōrant
Iamque timent, nē sē vincat ubīque minor.
Et cadit Ō magnum: iacet, heu, quamvīsque reclāmat,

Ut trochus ā spurcō volvitur – ecce! – chorō.
Nōn tulit hoc populī princeps ductorque sagax, A,
Quī gravior sociīs splendidiorque fuit.
Saepius hic rabiem potuit frēnāre popellī,
Saepius argūtā flectere vōce gregem.

Tunc etiam vix audierat plebs caeca sevērī
Verba sonōra ducis, cum stupefacta silet.
Ille: «Quis, ah,» dīxit «cīvēs furor incitat? Īrae
Parcite! Nē propriōs dīlacerāte virōs!
Sunt aliēnigenae, quōrum satiāre, Quirītēs,

Sanguine iam dūdum pectora tempus erat.»
Necdum fīnierat: fremitū strīdente faventum
Quaeritur Ȳ psīlon; prōtrahiturque nocēns,
Perdūcuntque reum clāmantēs ante tribūnal
Ad tenuemque ligant bracchia vāra pedem.

Tum sīc incipit A: «Animōs attendite, cīvēs:
Grammaticus (– tremuī! –), crēdite, noster amat.
Noster amat Latiō – pudor est – nōn nōmine dignam

Quaeque peregrīnōs praeferat ipsa sonōs.
Sīc ergō malus iste potest corrumpere mōrēs!

Perdidit iste virōs et muliebre genus.
Fēcit, ut ille bibō vapidum prōflāret Iacchum
In nostrōs, mediā carmina nocte legens.
Sed tamen hoc levius (– tulimus graviōra, Quirītēs –);
Est aliud, quod nōs dīra timēre iubet.

Sermōnem studet hic sensim vitiāre Latīnum:
Pūblica rēs agitur vītaque nostra, virī!
Nec, quia sacra luēs nōndum pervēnit ad īma
Viscera, sēcūrī spernite tāle malum:
Saepe levis raptim crēvērunt sēmina morbī

Corporaque horrendae tōta dedēre necī;
Saepe latens scintilla ferōs surrexit in ignēs
Inque suōs cinerēs prōcubuēre domūs.
Nē morer exemplīs, memorō prō plūribus ūnum:
Tē quoque turbārī tū, Tiberīne, dolēs.

Quī Tiberis Latiō celebrārī nōmine gaudēs,
Thybridis impūrā vōce notātus olēs.
Haec sī perniciēs vel sancta vocābula tangit,
Verbōrum plēbem quālia fāta manent?
Nec parat insidiās tantum: nōs despicit omnēs;

Iactat enim patriam conspicuumque genus.
Graeculus est sānē: ψῑλός, *calvusque levisque,*
Vox vērō querulum vixque virīle sonat.
Nec iam plūra notō: gravis est manifestaque culpa;
Est vestrum poenae constituisse genus.

Cēdimus hoc vōbīs nostrō dē iūre, Quirītēs:
Hīc sensum populī iūdiciumque sequar.»
Dīxerat. Ingentēs strepuērunt undique plausūs;
Nec mora, consilium rīte senātus habet.
Hic suādet gladium, lapidēs pars, ille secūrim,

Hic laqueum, turpem mītior ille fugam.
Distrahitur populus, iactant mala iurgia, caedem
Incipiunt, omnēs īra furorque rapit.
Infēcitque solum lentus prō sanguine nigror:
Miscent confūsī vulnera saeva globī.

Intereā fugit inde reus rumpitque ligāmen
Quōque vocat thalamī lāta fenestra, volat.
Rēmigiō manuum partem sē librat in īmam
Illīus, exiguum pōnit ibīque pedem
Bracchiolumque movēns tenerum valedīcere tentat

Arrīdensque mihī dēvolat, ecce, forās.
Obstipuī. Nimis ignāvum segnemque vocāvī
Mē, puduitque simul destituisse reum.
Aeger eram cūrīs. Atquī mora longa nocēbat,
Et memor absentis mē cruciābat amor.

Ecce fenestra viam dedit et, dēlapsus, in hortum
Nescio quō vēnī subveniente deō.
Mīraque conspexī: tendens in vertice pīnī
Ȳ psīlon stābat bracchia parva meum.
Māius erat solitō: dulcī cum lūmine Phoebēs

Imbiberat – sī fas crēdere – rōris aquās.
Quid facerem? Piguit sūdantem scandere truncum.
Dīxī igitur blandō tālia verba sonō:
«Ȳ, precor, ō redeās: fīdus tē quaerit amīcus,
Tē cum grammaticō Lȳdia *pulchra chorō.*

Tē petet ipsīus populī mūtāta voluntas:
Haec quoque tempestas, sit licet atra, cadet.
Quaesumus usque, redī: splendent vulgāria, rārum
Sī decus accessit; rāra probātur avis.
Līlia nōbilitat stagnī Gangētica lōtus,

Nōbilitat vitreās ūnica gemma fabās.
Tū quoque nescio quid festī populāribus addis
Ausoniae verbīs Ausoniaeque notīs.
Hospes ades: salvē. Nōn iam violāberis hospes,
Sī quid apud cultōs advena iūris habet.

Tū peregrīna sapis, tēcum mystēria dūcis,
Ē veteris** mȳthī **tū quoque fonte venis.
Tē resonante subit Grāiae tellūris imāgo,
Quidquid et aeternī gentibus ūna dedit.
Es priscīs similis, trādit quōs fābula rēgēs

Syrmate verrentēs marmora picta solī.
Nōbilis ipse, tuōs comitēs extollis: et inde
Nōminibus multīs vēnit opīmus honor.
Sīc nihil est nostrae quam** Lȳdia **dulcius aurī,
Vīque tuā fiunt nōmina grāta lyrae.

Vōcibus in magnīs residēs: per saecula vīvet
Vox hymnī; volitās,** mȳthe**, per ōra virum.
Syllaba iūra dedit sanctās lēgēsque poētae,
Quī sua nōn rhythmō verba carēre sinit.
Sed maiōra loquar: vastī quae foedera mundī,

Sēmina quae rērum prīma vicēsque docet,
Nātūrae faciem moderantēsque omnia lēgēs,
Sacrātum** φυσικῆς **ars ea nōmen habet!
Ipse pater dīvum, magnī dominātor Olympī,
Tē voluit partem nōminis esse suī.

Ergō parce fugae: cunctī tē poscimus, hospes,
Adque tuōs sociōs, ad tua verba redī!
Sīc ego: sed rīdēns Ȳ psīlon bracchia vībrat,
Ut volet ad nitidī sīdera celsa polī.
Iamque per albentem vīdī cursantia mūrum

Agmina perque hortī sēditiōsa viās.
Hīs spem dēposuī monstrīs perterritus, artēs
Iam nihil hūmānās posse valēre putans.
«Tū fer opem» dīxīque «superciliumque movētō,
Iuppiter, ō, sī quid nunc quoque, sancte, potes!»

Et deus, invictō quī temperat omnia nūtū
Quīque tenet dextrā fulmina saeva manū,
Intonuit, sonuitque fragor simul undique tantus,
Ut tremerent tellūs longaque regna polī.
Mē quoque terribilis subitō concusserat horror

Torpēbantque novō pectora victa metū.
Ut tamen horrendō tanquam pulsantis ab ictū
Sensimus immeritās condoluisse natēs,
Cum sensū rediit mihi mens: simul omnia vīdī,
Quaelibet ex animō fūgerat umbra meō.

Quid potius facerem? Rīsī, tremuitque cubīle
Laetificō rīsū tōta domusque meō:
Excideram lectō: vigil attonitusque premēbam
Quernea cum Flaccī cōdice strāta solī.
Exsiluī. Iam lūce novā conclāvia Tītan

Complēbat, dūdum vēnerat alma diēs.
Agmina iam volucrum per caerula regna volābant,
Ex hortīsque recens āëris ībat odor.

1151. …
1152. …
1153. …
1154. …

1155. Carmen Hugonis Henrici Paoli ad amicum poetam Arrium Nurum dicatum:

Iam diu septem celeres cohortes
Vidit annorum periisse vates,
Exitus cui nunc properantis aevi,
imminet, Arri.

Tardus incedit baculoque nixus
Suetus olim, vel Borea vetante,
Acer aeternis nivibus minaces
Scandere montes.

Tempus exspectans sine spe futurum
Temporis captat simulacra lapsi
Inter et coetus iuvenum recentes
Vivit ut exsul.

Sed lyram tangit quotiens Camena
Somnia et dulcis revocat iuventae,
Taedium vitae prohibere fas est,
Nure, poetis.

Errat ignotas animus per oras
Nec vetat torpens glacie senectus
Veris aeterni per amoena prata
Carpere flores.

1156. …
1157. …
1158. …
1159. …
1160. Venustum facetumque auctoris carmen ad cerevisiam celebrandam:

Encomion cerevisiae

Vina saepe cecini
versibus Latinis:
data laus est non inanis
Athesinis et Rhenanis
atque Palatinis.
Attamen ut fervidae
sitis vim vincamus,
cerevisiam spumantem,
guttur suaviter beantem,
fortiter bibamus!
Una cum Dionyso
colimus Gambrinum!
Salve, nectar Bavarorum,
iam deliciae maiorum:
cereale vinum!

1161. …
1162. …
1163. …
1164. …
1165. …
1166. …
1167. …
1168. …
1169. …
1170. …
1171. …
1172. …
1173. …
1174. …
1175. …
1176. …
1177. …
1178. …
1179. …
1180. …
1181. …
1182. …
1183. …
1184. …
1185. E libro cui index VIVA CAMENA pauca aliquot huius poetae acerrimi ingenii acumine praediti numineque feliciter afflati carmina:

Versiculi quassati:

Constitutum

Agitat flosculum,
flagitat osculum.

Spes illius XX diei mensis Iulii MCMXLIV

Labitur dux -
dabitur lux.

Pharisaeis

Qui respicit Deum
non despicit reum.

Mars et Ars

Furoris facem aluit Mars;
tranquillam pacem maluit Ars.
Profecto hostes arcet Mars;
in bello autem marcet Ars,
et quanto crescit acies Martis,
heu, tanto crescit macies Artis.
Est iracundus urus Mars,
humanitatis murus Ars.
Dementis, eheu, ira Martis
delentur dona mira Artis.
Vae mundo, si Mars oritur
horrendus, et Ars moritur.

1186. E carmine quod inscribitur *Quinque sorores*:

"Quid quod amica mihi veniens narravit ab urbe?"
acrior illa instat, "quod viderat ipsa, vehiclo
dum trahitur quo iuncta sedet matrona popello.
Cum puero mater praesentibus adstitit ecce
nobilis illa quidem, sed cultu lugubris atro;
et gracilem puerum totum atra lacerna tegebat.
Hos contra gremium genetricis bimulus infans
Miscebat tenerisque iocis balbaque querela
Dulce rubens malas: matercula prima renidens
Oscula ab ore ciet cumulataque reddere certat.
Tum vero – sic illa – genas adspeximus udas
Matronae lacrimis, audivimus et singultum.
Quaeque rogat mulier, rogitat matercula: "Quid fles?"
Ipse puer "quid fles?" ad matrem brachia tendit:
Brachia trunca horrent manibus. Tum "Ignoscite, quaeso,"
Illa "meis" inquit "lacrimis: sum Belgica mater."

1187. …
1188. …
1189. …
1190. …
1191. …
1192. …
1193. …
1194. …
1195. Hisce verbis soluta oratione scriptis auctor se lectori commendavit. –Quae quidem verba hisce in commentariis Theodericus Sacré exscripsit-:

Ut probe scis, nunc quoque sunt qui Latinos versus condant; in tanti criminis reis me quoque pone. Unde mihi tanta amentia venerit scire cupis? Pauca dicam. Humillimo loco natus, fere nullos libros in pueritia habui. Cum meus quidam patruus sacerdos esset ac saepe de eo esset sermo, adii parochum ut me doceret verba quae respondenda erant in missa. Haec prima verba Latina fuerunt. Anno 1915 vidi in scriptoria mensula patrui, quem supra dixi, carmen 'Vitus' illius Sofia Alessio; petivi ac legi; eius Latinitas placuit, ut quae nulla obscuritate me averteret. Ne longiorem rem faciam, alia eius carmina post legi, quae magis magisque moverunt. Nullum tamen versum conscribere sum ausus, quamquam paulo post, cum 'Hierosolymae Liberatae' Torquati Tassi, Latine redditae a Iosepho Toraldo, locos legens versus claudicantes invenissem eosque emendare conarer, sensi his rebus me trahi. Movebat nomen quoque Didaci Vitriolii. Coepi Latinos versus conscribere anno 1925, quo anno primum A. Bartoli vidi; is vero me adhortatus est; cum ei obtulissem carmen

Sapphicum, quod paulo ante non sine labore composueram et insane, dixerim, in ephemeride vulgaveram, tres mendas, ni fallor, ostendit. Anno 1926 descendi in certamen Locrense, postea in Hoeufftianum. Soluta tamen oratione primum usus sum anno 1927 et insequenti, cum vellem eligi professor; in scholis publicis docui annos 42.

En aliquot deinceps versus excerpti e carmine cuius inscriptio est *Solitudo*:

Altera iam facies torvi saevissima Martis
Omnibus apparens anxia corda premit.
Agminibus rursum committent agmina mille
Proelia: quassabunt murmura longa solum.
Mox odium spissas impellet utrimque phalanges,
Sanguine mox fratrum tota madebit humus. (…)
Funereas vestes, matres patresque, parate:
Inficiet maestis fletibus ora dolor…
Nonne satis lacrimae, queis immaduistis? Anheli
Nonne satis questus, factaque vota Deo?
Horrificis moles, heu, quot cecidere ruinis
Cum fureret toto Mars ferus orbe simul!
Urbes deiectae veterum monumenta virorum
Flere videbantur: tanta ruina fuit!
At tandem rerum post tot discrimina ramos
Pax oleae fessis gentibus alma tulit;
Vulnera purpureis sed adhuc manare videntur
Guttis nec gemitus, corde micante, tacent.
Nunc, heu, nunc rursus belli saevissimus horror
Ingruit et gelidus pectora rursus habet.
(vv. 1-6, 11-24)

1196. Alberti Chiari poematium anno 1929 lusum, cuius inscriptio est: *Primis hirundinibus advenientibus*:

Ales, qui trepido remigio vagans,
Nunc cum vere novo de calidis plagis
Ad dulcem revolas aeriam domum,
Alarum adsiduum comprime et impetum,
Stridorem et querulum desine fundere!
Aura dum renovat grata Favonii
Arva, vox tremulis gemmea floribus,
Blanditus Veneris tu cupiens novos
Nidi sollicitus tu sociam vocas;
Illa et iam liquido de aethere decidit,
Iucunde recreans te advolat en levis!
Sed mihi rigidus cum Boreas furit
Vel caelo in medio sol nitidus micat,
Candidae sociae, quae pariter sola
Fundit de tenero pectore lacrimas
Molles pallidula tristitia genas.
Ales, qui levibus viribus evolas,
Qui transire potes pervia et invia,
Transi et quaere meam, quaere puellam!
Urbes, quas nimius sollicitat labor,
Montes aethereos, spumea flumina
Transi et quaere meam, quaere puellam!
Dulciter lacrimans anxia te audiet!
O refer lacrimam tam cupido mihi,
Verbum et exiguum, sed leve subripe:
Antequam tenebras nox revocet nigras
Prima ut stella micans floreat o mihi!

1197. Versus excerpti e carmine cui index *Manlius Catullo*:

Solus in urbe, tuo nullo solamine, amice,
quae furibunda tenent Tartara supplicia
hic patior misere dudum mortemque requiro,
si iam nulla placet mobilis hora mihi,
quandoquidem nobis erepta est Iunia morte,

Iunia, lux vitae deliciaeque meae,
unica quae dici castissima femina posset,
si pluris faceret Martia Roma decus.
Heu dolor! Et memini te nobis sancta rogasse
teque Hymenem cinctum tempora flore novo
invitasse. Utinam genuisset Iunia parvum
Torquatum, mihi qui luderet ante pedes,
qui matris saltem faciemque decusque teneret,
qui miserae vitae posset adesse meae!
Mortua, nec superset quod nobis indicet illam,
quae cecidit veluti flos redolens hieme…
Nunc lacrimis mersus, nequiquam nocte cubili
credere membra queo, somnus ut excipiat,
quod redeunt eius verba ultima semper ad aures:
<< ***Heu morior, Manli! Dulcis amice, vale!*** >>.
Tunc animus torquetur iners, cupiensque dolori
finem vel miserum ponere sollicito,
a noctis tenebris modo flagitat usque quietem,
et modo nequiquam temptat amoena die,
cogitat at persaepe mel maeroris iniquam
causam, quae misero surripuit dominam.
Quae ventura mihi nisi tristia, quaeve, Catulle,
tempora felle malo non madefacta feram?
…

1198. …
1199. …
1200. …
1201. …
1202. …
1203. …
1204. …
1205. …
1206. Carmen ad Lutetiam Parisiorum rhythmicis versibus celebrandam:

LVTETIA

Avē ter dulcissima!
iuvenis clāmāvit,
viās tuās splendidās
prīmum cum intrāvit
saltans tōtīs viribus,
sīcut ōlim Dāvīd
intrans Ierosolyma
arcae praesultāvit.
Quod est Vrbs Pontificum
gregī vel praelātō,
Mecca quod fānāticō
in dēsertīs nātō,
aut quod est philosophō
sanctus ille Plato -
erat mī Lutetia
urbe fascinātō.
Vītae iucundissimōs
ibi carpsī flōrēs,
nusquam ēlegantius
tum vigēbant mōrēs,
mens et lingua lībera,
salēs et lepōrēs,
laeta sapientia,
artēs et amōrēs.
Omnia haec gaudia
dēgustābam ibi
omniaque genera
pōtūs atque cibī.
Sōlam ob modestiam
hīc nōn potest scrībī,
quotiēs ex pōculō
Veneris tum bibī.
Versūs scrīpsī plūrimōs
in Parnāsō Monte,
hōc poēsis uberī
et coffēae fonte;
sed nocturna carmina

dedī meā sponte
prīmā lūce piscibus
Sequanae dē ponte.
In rotundā Pantheī
stetī vultū gravī
et in Montis Martyris
mōlis exsultāvī,
Campīs in Elysiīs
domnīs annictāvī,
apud Nostram Dominam
animam salvāvī.
Do salūtem hodiē
omnibus scortillīs,
quae vincēbant timidum
artibus mellillīs,
item et caupōnibus,
quī iucundīs vīllīs
mī lustrābant animum
in diēbus illīs.
Item gratē meminī
coctōs assātōsque
piscēs, pullos, porculos,
boves vitulosque,
phasianos, anseres,
cochleas agnosque
recreantes stomachum
delectantes osque.
Non est mirum iuveni
ipsum paradisum
tristem et horribilem
locum esse visum.
Sed hoc saeclum aureum
mox est intercisum
diro bello populis
rapiente risum.
Iam perdideramus spem
nos dilectos muros
lucidae Lutetiae
esse revisuros.
Sed post annos Martios
extra modum duros
fatum dies reddidit
- faxint di! - securos.
Simulae possibile
fuit proficisci,
propere collecti sunt
triti mei risci,
nam ut primi homines
cupiebam prisci
paradisi gaudia
denuo nancisci.
Vix angustum patriae
fugiebam saeptum
putans me Elysii
limen iam adeptum,
cum est cor, fallaciis
blandulis deceptum,
caro suo somnio
subito ereptum.
Qui post longum spatium
primos ad amores
redit, frustra quaeritat
proprios fervores,
frustra suae Helenae
gratias priores -
non resurgit mortuus
amor, quantum plores.
Salve tamen, dulcis urbs
meae iuventutis!

Iam canescunt tempora,
iam laxatur cutis;
trames nunc scandendus est
aridae virtutis...
Allevet memoria
onus senectūtis!

1207. …
1208. …
1209. …
1210. …

1211. Carmen Antonini Immè cui index ***Itinera fragrantis vitae*** - ***Memorandum***:

Carrus longe praeteriit herbis onustus
et etiam redolet haec silvestris via;
fac tu quoque sicut fragrans illud fenum:
linque gratas memorias, anima mea!

1212. …
1213. …
1214. …
1215. …
1216. …Bina huius egregii poetae poematia in Rete repperi, quae infra describo, quorum prius est editum in carminum libro cui index *Urna Parcarum*, alterum vero, in carminum collectione cuius titulus *Pontes lucentes*:

Sol in herbis

Sol in herbis lucet,
in herbis teneris.
Ocelli tui sicut dona Veneris
aurea poma autumnalis temporis.

Aves

Tot in sole apricantur
croceae aves
in ramis arboris
Expectant tepidum ventum
volaturae
in sinum
futuri veris.

1217. …
1218. …
1219. …
1220. …
1221. …
1222. …
1223. …
1224. …
1225. …
1226. Arri Nuri carmina aliquot:

Ad Ovidium

Limatum lepido currit tibi distichon ictu
ast oneras nimia compede pentametrum.
exigis ut versus sit sola bisyllaba finis,
desinere et prohibes, Naso, trisyllabice.
dura satis res est Latios conscribere versus
et sine inutilibus sollicitudinibus!
quare ne pudeat nostrum concludere versum
neu monosyllabice neu polysyllabice.

Ad Petronium

Sermonis lepidi te diligit omnis amator
necnon cui vulgi candida lingua placet.
concubitus, rixas, technas nam carmen inausum
mirifica nobis exprimit arte tuum.
surgit amor, dein flaccescit: gravis ira Priapi
persequitur miserum, qui reus usque vagat.
proposita est etiam locupletis libera cena
liberti, quo nil stultius esse potest.
hic rhetor blaterat, nugax canit iste poeta:

et iuvenum mores discimus atque senum.
ostendis speculum turpi sic, Arbiter, aevo,
atque in perpetuum, docte poeta, viges.

E carmine *in Stultitiam satura*, vv. 349-351

Ride, si sapis, ut pulmonem agitare solebat
Democritus sapiens, edens sine fine cachinnos
haud aliter nam stultitiam compescere possis.

E satura Menippea cui index ***Vallum Berolinense***

Conspecto muro, complectere mente, viator,
quam sit libertas proxima servitio.
Fallitur impavida quisquis negat esse tuendam
cura: ni vigilas, haud mora, servus eris.

Machinula photographica
Luce ego depingo picturas. Temporis acti
ut vos usque iuvent sic monimenta paro.

Epigramma
Hoc tumulo claudi claudi scito ossa poetae.
Claudius an nomen? Non ita: claudus erat.
Carmina qui panxit claudo pede, nunc requiescit
nec iam claudicat is: carmina clauda manent.

Epigramma de morbo prostatico

Urinator eram iuvenis nandique peritus,
iuverunt semper fluminei latices.
Largifluus fuerat iuveni quoque ductus aquai:
prostata prostravit glandula deinde senem.
Quam tumidam exsecuisti cultro, docte cherurge,
Iuppiter Urios at fautor amicus erat.
Iam scatit, ante reses, iam prosilit amplior unda:
Nurus Anurus erat, nunc Palinurus erit.

1227. …
1228. …
1229. …
1230. …
1231. …
1232. …
1233. …
1234. …
1235. …
1236. Versus decerpti e carmine cui index *De milite redivivo*:

Aeternis candens nivibus glacieque coruscans
Solus Adamellus mediisque ex Alpibus ingens
Consurgit lataeque tenet mons regna quietis.
Illic, cum vasti belli feritate periret
Europa Austriacam ob noxam submersa ruinis,
Plurima pugnarum series, seu mole globorum
Proiecta, re per gladios seu cominus acta.
Haud raro caelum plumbo grave, nubibus atrum
Oppositisque simul scissum in contraria ventis
Excidium pestemque aliam vibrabat ab alto:
Tum nivium pulsis celeri glomeramine acervis,
Omnia convelli, silvae cautesque hominesque,
Et dare inauditum fragmenta voluta boatum.
(…) (vv. 1-13)

1237. …
1238. …
1239. …
1240. …
1241. …
1242. …
1243. …
1244. …
1245. …
1246. …
1247. …
1248. …
1249. …
1250. …
1251. Locus excerptus ex libello cuius titulus *Latine discere iuvat*.

DE CAELI STATV

Quae tempestas erit hódie? – Puto caelum futurum esse serenum (aut túrbidum). Caeli status est incertus. Ímminet tempestas. Exspectemus tránsitum tempestatis. Bona tempestate rus petamus. Heri, ut dies suasit, montem praealtum conscendi. Est dies pluvialis. Effúnditur imber. Imber torrentis modo effúnditur. Catervatim pluit. Habesne umbellam? – Hábeo; nuper eam emi, sum enim obliviosus, quam ob rem eam saepe amitto. Ínspice barómetrum! Eo aut caelum serenum (vel sudum) aut plúvia aut caelum várians signatur. Quid núntius metereológicus praedixit? – Praedixit nives hódie esse casuras. Ningit (vel ninguit). Plúrima nix de caelo delábitur. Nacti sumus diem nivalem. Qui status est viae públicae? – Propter nivem concretam est lúbrica; vestígium fallit (vel vestígium non récipit). Frigus est acre. Frigus inténditur (aut minúitur). Ómnia gelu rigent. Híemat. Est hiems summa. Fornacem accendamus ut vim frígoris pellamus! Domus nostra calefacientis aquae ductu est ornata. Nonne tónitrum (vel tonítruum) audis? –Áudio. Re quidem vera contínuus est caeli fragor. Fúltninat (vel fúlgurat). Fúlmina micant. Domus próxima de caelo tacta est. Grándinat. Grando vites, pro dolor, contundit. Grando ségetes pércutit. Est tempestas hórrida. Recipiamus nos domum! Dies est núbilus. Dies est núbilo involutus. Núbilat. Ventus núbilum induxit. Procella nubes púlveris vehit. Caelum est nebulosum. Nébula matutina sole dispéllitur. Est nébula densa (est crassíssima). Nébula tam densa est ut lucis usum erípiat. Máximus ventus coóritur. Ventus tectum domus deturbat. Ventus se circúmagit. Ventus increbrescit (aut remittit). Ventus intermíttitur; ventus est ácrior (aut remíssior). Áquilo (vel bóreas) est ventus septentrionalis. Auster est ventus australis. Subsolanus ab oriente spirat. Favónius (vel zéphyrus) ab occasu solis flat. Ostende mihi thermómetrum! Numeratur décimus gradus supra zerum. Disserenascit.

1252. …
1253. …
1254. …
1255. …
1256. …
1257. …
1258. …
1259. …
1260. …
1261. …
1262. …
1263. …
1264. …
1265. …
1266. …
1267. …
1268. …
1269. …
1270. …
1271. …
1272. …
1273. …
1274. …
1275. …
1276. …
1277. …
1278. …
1279. …
1280. …
1281. Carmen cuius inscriptio est ***Furens Tympanotriba*** anno 1970º in lucem emissum:

Qui loqui nequeunt, licet quibus non
se defendere torva cum manus iam
fauces strangulat opprimitque vocem,
qui mansereque sub iugo furoris
fratres et socii patres amici,
vivis pro omnibus hisce mortuisque
orator sum ego factus et poeta
et trux tympanotriba, verba quamquam
et facundia vis potentia illa
Tulliana mihi aut Catulliana
sunt nusquam. Scelus istud at nefandum
quem non permoveat, cui tamen non
vires roboret addat augeatque?

Factum est ecce diem ante ter quaternum
Septembres - niger est dies - Kalendas:
ut fures bene nocte se tegentes
cum satellitibus suis in armis
turba barbara turpis et ferox et
saeva sordida militum rubrorum
invasit patriam meam quietam,
abundant ubi aquis amoena prata,
veris flos ubi floret atque vernat
in saxis ubi pinus et susurrat,
terram mellifluam diisque gratam,
invasit spoliavit occupavit
immanem horribilemque et intulit vim
et cultae bene comi et hospitali
genti, quae sua curat arva aratque
libertatis amans piaeque pacis.

invasere nihil nihil verentes,
invasere nihil nihil pudentes,
in tantum valet usque vis superba
et licentia - ius potentiorum.

Conclamant homines et unica est vox
audita undique consona atque fortis:
HEVS QVID RVSSE VENIS? TIBI QVD HIC VIS?
QUIDVE OPTAS? AGE IAM DOMVM FACESSE!

In via lapides vocant iacentes
omnis et paries in urbe tota
et muri quoque murmurant monentque:
HEVS QVID RVSSE VENIS? TIBI QVD HIC VIS?
QUIDVE OPTAS? AGE IAM DOMVM FACESSE!

Centuplo reboant sonore turres
columnae statuae domus et omnes,
quod non os habet haudque fatur umquam,
hoc nunc proloquitur profatur urget
clamat et furit et tumultuatur:
HEVS QVID RVSSE VENIS? TIBI QVD HIC VIS?
QUIDVE OPTAS? AGE IAM DOMVM FACESSE!

Responsum proprium dedere currus
armati chalybe horridi strepente
ignes telaque mortis evomentes:

floret ex maculis humi rubens flos.

Quid prodest lapides trabes lagoenas
iactare aut manibus minas et iras
nudis tollere? quid mala imprecari,
diras expetere os in exsecratum?
victi perfidia superbiaque
victi barbarica ferocitate
prostrati misere iacemus hoc in
terrae pulvere, pulvere in tepenti
terrae mellifluae diisque gratae,
in saxis ubi pinus ah susurrat,
veris flos ubi floret atque vernat,
abundant ubi aquis amoena prata.

Flores at maculant humum rubentes,
umbris obruta terra vix anhelat.

Nunc pauper fugitivus et vagans, nunc
exspes et patriae domoque ego exsul
vocem tollo nimis dolore fractam
et raucam nimis atque exasperatam,
vocem tollo tamen furenter atque
tundo tympana turturesque turbo,
tundo tympana torpet et manus iam,
usque at tympana tundo ego tonanter
crebris verberibus ciens severos
versus verbaque veritatem amaram:
o gentes, populi, cavete et omnes
qui ius fasque fragrans opusque pacis
vitam liberam amatis atque rectam,
percauti sitis et cavete rursum:
per terras maria arduosque caelos
ambit Russa manus, manus cruenta
pestem perniciem serens ubique,
ambit continuoque et appropinquat:
PROXIMVS PARIES *videte* IAM ARDET

1282. …
1283. …
1284. …

1285. …

1286. Excerpta ex oratione quam C. Eichenseer habuit occasione X conventus ALFae, Matriti in urbe. Titulus orationis est De neologismis Latinitatis condendis.

… lingua Latina non solum ex uno auctore constat, sed ex aliquibus ducentis viginti, quorum opera magnam partem adhuc exstant. Sed Cicero inter omnes mirum in modum eminet. Tamen idem ipse confitetur multa verba opificum propria sibi esse ignota. … Ergo in ipsa Latinitate aurea vel argentea quoque exempla numero non pauca inveniuntur, ubi scriptoribus neologisimi sive assumendi sive condendi conceduntur.

Porro aetate Renascentiae (quae dicitur) vel humanismi, id est quinto decimo saeculo et sexto decimo, quibus temporibus Ciceronianismus quidam quasi exaggeratur … neologismi non pauci inveniuntur quorum numerus multum auctus et multiplicatus est post artem typographicam feliciter inventam.

Porro decursu temporum vel saeculorum augescentibus instrumentis technicis non pauci Latinitatis cultores quasi suo Marte verba novata, id est neologismos, proposuerunt…

Praeter tales similesque neologismos ex copia Latinitatis antiquae depromptos novatores quidam verba recentia ex lingua neograeca … mutuati sunt.

… Sed in primo Latinorum recentiore conventu communi Avennione in Galia anno 1956º acto etiam necessitas inevitabilis generaliter cognoscebatur verborum quorundam novandorum (maxime technicorum). Itaque in actis conventus Avennionensis … proponuntur haec:

1. Priusquam novum verbum ad res novas effingamus, certos nos esse oportet thesaurum vocum linguae Latinae omnino exhaustum esse.
2. Cum reapse nullum aptum verbum lingua Latina nobis suppeditet, licet recurrere ad verborum compositionem vel derivationem ex ipsa Latina lingua.
3. Nova vocabula possunt etiam a Graeco fonte hauriri.
4. Cum haec omnia desunt, pateat via ad verbum his temporibus linguarum usu signatum, quod tamen rationi et linguae Latinae colori aptandum est.

1287. …
1288. …
1289. …
1290. …

1291. Carmen Iosephi Tusiani cui index ***Somnium nivale***:

Quam pulchrum est contemplari in floccis nivis albis
Æterni, extincto tempore, principium!
Lenta cadit nix et telluris culmina celat:
Mons vallesque cito nomina sunt vacua.
Lenta cadit nix? Quid lentum est, quid praepes in isto
Exsilio rerum? Nascitur ordo novus,
Ordo silens qui bellorum strepitus tegit omnes,
Ordo serenus qui sanguinis undam abolet.
Oh, cade limpida, nix, cade casta et candida et ampla,
Donec me facias dulciter immemorem,
Immemorem cuncti, qui durat in orbe, doloris,
Immemorem veterum nequitiarum hominis.
En tranquillus in hac sollemni pace recumbo
Et veris semen mi satis est fieri.

Carmen Iosephi Tusiani cui index ***Idyllium vespertinum***:

Quam tenere super hos flores sol ecce quiescit!
Hic, procul a toto mundo strepituque viarum,
Cogito si tam candidulo puroque tepori
Æquari mea vita queat. Fortasse ligat nos,
Plantas atque homines, sors una, unum breve verbum,
Ah, *brevitas*. ***Remanent divina, humana peribunt.***
Sed quam pulchra mihi est cum floribus hisce myricis
Mors lyrica et fragrans! Corpus grave materies est
Quae leviter fit mitis odor, color et mirandus
In tanto herbifero sollemni corde sonoro.
Unum ex his foliis tandem videor, tandemque
Nullum onus est mihi mens, zephyri si prorogo voces
Non verbis sed vasta in me dulcedine pacis.
O pax occasus! Felix oblivio noctis!
Nox veniet, memini sed noctis nulla pericla.
Et venient tenebrae, sed nescio quid tenebrarum
Gurges significet. Cunctae res sunt sine culpa
Et sine damno. Sum Natura nitens et amanda,
Sum tandem quod eram solum per somnia vana.
Somnio adhuc? Noli mihi respondere, beata
Vesperis hora! Satis mihi sit tam suavis et ampla

1292. …
1293. …
1294. …
1295. …
1296. …
1297. …
1298. …
1299. …
1300. …

1301. Apologus excerptus e libello *Novae Fabulae* inscripto quem Genovefa Immè ad usum discipulorum scripsit:

Equus et zebra

Equus omnino albus therotrophium transiens
statim zebram miratur: "Quis versicolor hic?
Quam delicatus, quam pulchre virgatus est!
Illum pulchellum iam petent omnes equae!
Utinam similis sim! nam unicolorem me pudet!".
Dum cogitat, hominem pingentem repagula
Videt nigro colore; vespere rediens
Se fricat album contra claustrum nigricolor.
Pictura non bene sicca rigis tingitur.
Sic similis visu zebrae tandem factus est.
Equus illa veste falsa renidens cursitat,
Et eum sequuntur cupide flagrantes equae.
Sed ecce compluit et pictura solvitur.
Miser equus sordidus, non iam nunc virgatus est!
Denique nudatur, qui falsam vestem induit.

Loci excerpti e Genovefae narratione fabulosa ad usum scholasticum scripta, hocce vero titulo inscripta: ***Hirundo et canis***.

Hic dies est vicesimus mensis Martii: Hodie ver in Kalendario nuntiatur; sed non solum in Kalendario: Nam aer est tepidus, caelum serenum, sol illucescit…et primae hirundines ex hiemalibus castris, quae in calida Africa habent, ad aestiva castra, id est, ad Europam, advolant. Pueri, qui in viis ambulant, laete clamant: "Hirundines! Ecce hirundines adveniunt!"

Et matres ipsae, cum hunc clamorem audiunt, in domuum limina exeunt et aves in caelo volantes libenter prospiciunt.

… [Et sub finem fabulae:]

Iam aer minus calidus, iam noctes frigidiusculae fiunt. Saepe pluit et arborum folia flavescere incipiunt: Autumnus adest.
Hirundines, nidis relictis, in electrica fila conveniunt, ut una profectionis diem et futuri itineris stationes decernant.

Ceterum, quoddam carminum genus, *haicu* nominatum, quod est Iaponum cultus humani proprium, suo ingenio et Latine lusit poetria, sicut alii recentissimi Latinitatis cultores feliciter facere sunt ausi:

"***Canunt cypressi***
dum turtures gemiscunt
sed marmor silet."

"***Inter cypressos***
zephyrus precem canit
pro iacentibus"

"***Abiit carrus.***
Permanet ebriata
feno semita."

Qui quidem versus respondent eis quos olim vir eius, Antoninus Immè, luserat, qui supra [cf. num. 203] legi possunt.

1302. …
1303. …
1304. …
1305. …
1306. …
1307. …
1308. …
1309. …
1310. …
1311. …
1312. …
1313. …

1314. …
1315. …
1316. Michaelis ab Albrecht carmina:

Ad Ioannem Pascoli poetam latinum

Alcaico carmine cecinit
Michael ab Albrecht

Vates, manent te maxima tempora,
Gentes ad omnes vox tua pervenit.
Cum ceterae linguae senescant,
Haec pereat, revirescat illa,
Stat una florens, interitu carens.
Stant verba rebus congrua Tullio
Reperta ; stant dictae Maroni
Laeta seges tenuisque myrtus.
Amissa rerum vera vocabula;
Voces inanes vas vacuum crepat?
A vate dicuntur Latino
Aurea dicta: doli recedunt.

Sermone, vates, uteris omnium,
sed eleganter, verius omnibus.
Verāque naturā repertā
Mortua lingua eademque viva est.
Finis poetae primus et ultimus:
Fontes ad illos, unde creatus est,
Redire, natura docente,
Perpetua viridem iuventa.

Beate, vocis rupibus his tuae
Servatur echo, ros lacrimas refert,
Et cordis ardorem micantis
Arborei resonant tremores.

Ad Hermannum Weller poetam Latinum

Septies deni rediistis anni :
Tunc mihi carus puero sodalis
Versuum librum dederat tuorum,
Suebe poeta !

Et « vale » scripsit. Didicit tum apud te
Sanscritam linguam ; studiumque tradit
Hoc mihi. Terram tamen hanc reliquit
Non rediturus.

Nunc tuos versus recolo, poeta !
Dum gradus vitae renovantur actae,
Fratris instar qui fuerat, videtur
Ipse subire.

Psittaci primum mihi passerisque
Lis redit, cattique tremenda forma.
Deinde Nasonis renovatus angor
Exsiliumque.

Tunc ego « Y psilon » repeto tremoque,
Nequid infandum populus facessat
Neve devictum fera multitudo
Opprimat unum.

Florido Maio genitus sodalis.
Ast ego tecum lacrimor, poeta,
Praeter et cumba vehor insulasque et
Somnia nigra.

Mox tamen frondis varios colores
Vinaque autumni tua Musa fundit.

Sancta Pax sceptrum tenet, atque abundans
Copia cornu.

Adnotatio auctoris: Hoc carmine imprimis haec commemorantur Welleri carmina : ***Psittacus et Passer*** ; ***Natale Solum*** ; **Y** ; ***Maii miracula*** ; ***Cymba vectus*** ; ***Venus et Mars*** ; ***Somnia***.

De librorum non scriptorum bibliotheca in Utopia sita

Librorum numquam natorum bibliotheca,
Amice lector, te vocat.
Commoda quanta tibi dentur, nunc percipe, cuncta
Servaque corde condita!
Ecce aditûs nemo custodit, portaque nostra est
Noctu diuque pervia,
Tempore tu quovis potes huc intrare, neque ullas
Habemus umquam ferias.
Ante fores ex te non quaerit Cerberus ullus,
Professor an doctor sies.
Tangere nec libros quisquam vetat, omne volumen
Evolvere aude! Nam licet.
En faciles lectu cuncti stant ordine libri,
Potes carere interprete.
Nempe albae sine labe, quibus nil clarius, omnes
Vacant liturā paginae.
Cunctis candor adest foliis, et littera nulla
Infestat hanc albedinem.
Quid quod ab his libris absunt mendacia cuncta,
Patetque nuda veritas?
Invenies illic, sapiens quaecumque tacere
Non eloquenda maluit:
Socratis hic non scripta, Plato, tua mystica dicta,
Iesuque verba authentica,
Hic etiam invenies inenarrabile quidquid
Sanctis revelat ecstasis,
Dulcia nec deerunt: quidquid percepit amantum
Mens sevocata a corpore.
Non opus est instrumentis aut retibus ullis:
Tu computatra proice.
Huc accede: aperit gratis sapientia fontes.
Hos tolle libros et lege!

De rerum oblivione

Ad uxorem disticha dactyliambica

Esse quid hoc dicam? Desunt mihi verba Latina,
Mentemque sermo fallit ipse patrius.
Subsidium quaerenti oculis consumitur hora:
At perspicillum fronte iam diu gero.
Nomina notorum mihi saepe ignota videntur.
Bis terque idem, quod iam rogaram sciscitor.
Errant, qui dicunt: "annis sapientia crescit".
Quo maior aetas maior est oblivio.
At fortasse malo est aliquis tamen usus in isto?
Pacatum erit cor, aequor ut ventis carens?
Ulcera non rodent stomachum mihi; vita deorum
Continget insperata iam vivo mihi?
Dummodo tantorum possim memor esse bonorum,
Tot a Deo quae ceperim ac mortalibus!
O numquam vestra ex animo mihi cedat imago:
Quibus carenti vita nulla esset mihi!
O coniunx, nati, tot amici discipulique,
Mater, magistri, genitor atque avi mei!
Corpore quod plus est: vitam lumenque dedistis:
Sanctam poesin, sanctiorem musicam.
Quid mihi fiet, eheu, vitiorum plena meorum

Si detur ac perpetua nunc oblivio?
Quid si obliviscar versus sermone Latino
Conscribere? – Omnes efferentur gaudio;
Ast ego clamabo: Non sunt oblivia tanti!
Solitum tenebit dextra mordicus stilum!

Locus excerptus e Michaelis ab Albrecht fabula Milesia cuius titulus est: ***De simia Heidelbergensi***:

Dē boum philosophiā quī et κατάβασις

Ibi dum manibus modo priōribus modo posteriōribus corpus meum per rāmōs et arborēs lībro, multās ex iīs aegrōtāre, aliās dēfēcisse, aliās mortuās esse vīdī, usque eō, ut mihi quidem professōrem Strabōnem vēra vāticinātum esse sentīrem.

Quā in rē cum ab hominibus, quī dīs illīs foetidīs, quattuor rotīs praeditīs, sē tōtō animō dēdidissent, vix quicquam spērārī posse vīdissem, animālia adīre cōnātus sum.

Quōrum vel maximē bovēs admīrābar, quibus plūrimās virtūtēs īnesse crēdēbam: labōrum patientiam, ingeniī cōnstantiam, animī tranquillitātem, rēgālem quandam dignitātem. Sed in prātīs, id quod valdē mīrābar, nusquam bovēs vidēbantur.

Intereā, cum iam advesperasceret, ad casam quandam agrestem vēnī magnīs stabulīs circumdatam, ē quibus armentōrum mūgītus audiēbātur. Quae cum ē tectō per fenestellam adapertam īnspexissem, vaccās vīginti vel trīgintā vīdī, audīvīque strepitum vinculōrum catēnārumque crepitantium. Ē quibus ūnam, quae mihi vidēbātur paulō minus hebes cēterīs, allocūtus:
"Nōnne tē, dīxī, quae lacte sīs candidior, Īnachide pulchrior, cuīque sint oculī Iūnōne dignī, dēsīderium prātōrum amoenitātis, flōrum varietātis, vīvōrum fontium salūbritātis tenet?"
Ad quae illa quidem nihil; nisī quod caudam paululum mōvit, ut muscās abigeret. Iamque mē paenitēbat sermōnis tam urbānī colōrēs in vaccā perdidisse, cum ōre adapertō haud inhūmānē mūgīvit et per rūminātiōnis intervalla tālia ferē ēdidit:
"Ex longinquō mihi, hospes, vidēris vēnīsse; immo ex dīversō tē esse stabulō dīcerem, sī esse alia stabula crēderem. Quod nī ita sē habēret, hoc genus vītae, quod nōbīs hoc dēmum beātissimō saeculō contigisset, et pulcherrimum et amoenissimum et salūberrimum esse omnium scīrēs. Nam quid hōc stabulō pulchrius excōgitārī potest, in quō ipsa vincula strepitū nōbīs indicant nōs dēmum vērae lībertātis esse participēs: nōnne enim lūcis ēlectricae ope ē servitūte nātūrae in lībertātem vindicātae sumus nōn amplius cūrantēs sitne diēs an nox, aestās an hiems? Deinde quid mūsicā Sebastianī Bachiī amoenius, quā cotīdiē audītā ad praebendum lac impellimur? Tum quid hīs praesēpibus lautius, quibus semper pāscimur, quid hīs māchinīs mulctrīcibus pūrius, quae nōs dominiō hominum līberant, quid hōc rīvō artificiōsō salūbrius, quō quidquid fēcimus fimī statim abluitur asportāturque? Hīc tū mihi nesciō quōs sōlēs, fontēs, caespitēs narrās –dē herbae carpendae labōre, dē arātrī servitūte, ā quā tandem sumus līberātae, tacēs? Nōn mehercule vir, sed anus quaedam mihi vidēris esse, haud dissimilis aviae meae, quae in angulō illō stāns ūsque ad mortem lāmentāta est – dōnec propter sermōnēs līberrimī nostrī saeculī indignōs suppliciō dīgnissimō affecta est. Cēterum equidem omnia illa, quae narrās – sōlēs, fontēs, prāta- somnia puto fābulāsque neque quicquam vērī aut solidī praeter hoc stabulum esse crēdo."

Haec cum audissem, āeris corruptī taediō affectus ē stabulō in silvās fūgī talia summō cum maerōre cōgitāns:

Ō Germānia, terra quae
ōlim cāra poētīs,
māter tū sapientium,
ars quā mūsica nāta est:
silvīs orba tuīs, anus
crīnēs ut spoliāta,
obtūsō data mīlitī
caupōnīque procācī
heu quam es dissimilis tuī,
sectāns commoda vītae!
nam caelestia sunt tibī
nōn iam carmina cūrae,
nec cernunt oculī tuī,
quid pulchrum, quid honestum,
nec sānctae sapientiae
vōcem surdior audīs.
sōlī dēdita tū lūcrō
quid nōn, impia, vendis?

1317. …
1318. …
1319. …
1320. …

1321. Locus excerptus e commentitia auctricis narratione cuius inscriptio *Tacitus cattus*:

In conspectu aedium nostrarum sita est domus cum mirifico horto, paradiso simillimum eum dicas: non caespitem machina falcata curiose abrasum et rara arbusta, sed altas herbas aliaque sata sponte sua genita videas. Ego illac curro ac salio sicut panthera illa in pellicula cinematographica, quae 'Liber silvae' inscribitur, quam ego quidem nuper vidi, et, quid vis dicam, mihi certe maxime placuit. Nos autem, velis nolis, non tam magni quam pantherae sumus ideoque, si eum

hortum nobis compares, silva quaedam pluvialis nobis est. Audivi tamen, vicinam quandam de eo conquestam esse: "Nos magnam pecuniam solvimus, ut formosum hortum circa domum haberemus, nunc tam incultum agrum semper ante oculos habemus!". Novi ego illam, et bene scio, miram feminam esse; avem, psittacum in aedibus dico, habet, valde scitum animal, quod etiam loqui scit –factum, non fabula, ipse eam saepe audivi- sed ita ut nescias, utrum mulier ipsa an psittacus garriat, ego certe eos internoscere non possum.

1322. …
1323. …
1324. …
1325. …
1326. …
1327. …
1328. …
1329. …
1330. …
1331. …
1332. …
1333. …
1334. …
1335. …
1336. …
1337. …
1338. …
1339. …
1340. Poetriae carmen stropha Alcaica compositum cui index: *Omnia vincit Amor*.

Victoriarum tu immemor omnium,
crudelis, in me mittis, Amor novam et
notam sagittam amariorem
ignibus immodici doloris.

Multis catenis, compedibus tuis
vincta in profundo carcere langueo,
obliviose, cur eandem
semper, Amor, sequeris rapinam?

An numen anceps frontis amabilis
risu iososo tristitiam meam
vincit, labrorum oblita laudo
carminibus tenerum tyrannum.

1341. …
1342. …
1343. …
1344. …
1345. …
1346. …
1347. …
1348. …
1349. …
1350. Loci excerpti ex eleganti ac lepido Ioannis Caroli Rossi colloquio cuius titulus ***Gaddus, de saeculi fastidio*** :

Mediolani in hortis montanellianis de monumentis latinitatis in Caroli Aemilii Gaddi scriptis sermocinantur Iovianus et Rutilius architecti.

Iovianus - ***Saepenumero, Rutili, obici audio architectis quod omnia tractent perfunctorie, nihil penitus addiscant, multa garriant, quae forte in eorum buccam venerint: neque eos esse homines unius libri, ut sapientem decet, qui singulae rei intentus, non hac illac licenter pervagatur; sed plurium lectione librorum obiter delectari, ita ut nescias unde illorum scientia fluxerit, siqua ex tanta rerum congerie superest.***
Rutilius - ***At haec Vitruvius ipse praeceperat: et litteras architectum scire oportere, et graphidos scientiam, et geometriam; tum opticen, arithmeticen, historiasque; deinde philosophiam, musicen, medicinam, astrologiam ...***
Iovianus - ***Concedo sane ita praecepisse structorum patronum; neque ideo immerito nos architecti pantologi a quibusdam appellamur; sed sive virtus ea est sive vitium, multifaria atque confusanea doctrina, quae nobis obicitur, profecto tibi quoque, Rutili, referri potest, qui per intervalla insaniae aedificatoriae in Gaddum tuum studiosissime incumbis. Quamquam probe novi non eum abs te obiter leviterque sed sollerter atque constanter adamari. Quum vero detur nobis otia una terendi, hic sedentibus in caespite, ut assuevere veteres philosophi, de Carolo Aemilio Gadda disputare tecum velim. Amoenus est enim locus amicorumque sermonibus aptus, umbra platanorum arcet aestus meridiei, auriculae cantibus avium atque interfluentis euripi murmure mulcentur. Praeterea, si licet parvulis conferre magnos, his ipsis in hortis Alexander Manzoni, anno aetatis suae LXXXIII, occasionem ab avibus nactus, quas in cavea inclusas adspexerat, carmen latinum composuit.***
Rutilius - ***Memini distichi a quo incipit carmen:***

Fortunatae anates, quibus aether ridet apertus
Liberaque in lato margine stagna patent !

Volucres enim visae ei sunt quasi anatibus invidere, quod liberae natarent in stagno .
Iovianus - ***Neque vero Manzonius tantum, sed alii etiam poetae, quorum fama Italorum litterae illustrantur, hoc in viridario errare solebant; nam, ut est memoriae proditum, Josephus Parini tiliis, quibus hortorum xysti sunt adhuc utrimque consiti, valde delectabatur, et Hugo Foscolo diu in caespite cogitabundus sedebat, ut patriae leniret desiderium.***
Rutilius - ***Tantorum virorum Manibus hic nobis afflantibus, licebit ideo lumen nostri saeculi memorare.***

Iovianus **– *Euge! Scis enim quantopere Gaddus ille tuus sit mihi quoque in deliciis. Age igitur, o diserte artifex, de moneta tua aliquid Gaddianum nobis excude; quamquam metuo ne modus sit materiae imponendus, quae latissime ne dicam infinite patet.***

…

1351. …
1352. …
1353. …
1354. …
1355. …
1356. …
1357. …
1358. …
1359. …
1360. …
1361. …
1362. …
1363. …
1364. …
1365. …
1366. …
1367. …
1368. …
1369. …
1370. …
1371. …
1372. …
1373. …
1374. …
1375. …
1376. …
1377. …
1378. …
1379. …
1380. …
1381. …
1382. …
1383. …
1384. …
1385. …
1386. …
1387. …
1388. …
1389. …
1390. …
1391. …
1392. …
1393. …
1394. Poematium c.i. *ad Glyceram hexametri* :

Cur non vis mecum tranquillam degere vitam,
cur praefers salebras pedibus percurrere nudis,
atque lupos inter, silvestri more morari?
Cur praefers montes silvasque habitare profundas,
quam pacato animo, tuguri sentire calores?
Sed fera mens nullum cordis patitur domitorem.

1395. …
1396. …
1397. …
1398. …
1399. …
1400. …
1401. …
1402. …
1403. …
1404. …
1405. …
1406. …
1407. …
1408. …
1409. …
1410. …
1411. …
1412. …
1413. …
1414. …
1415. …
1416. …
1417. …
1418. ..
1419. …
1420. …
1421. …
1422. …
1423. …
1424. …
1425. …
1426. …
1427. …
1428. ..
1429. …
1430. ..
1431. …
1432. …
1433. …
1434. …
1435. …
1436. …
1437. …
1438. …
1439. …
1440. …
1441. …
1442. …
1443. …
1444. …
1445. …
1446. …
1447. …
1448. …
1449. …
1450. …Locus excerptus e Volfgangi Jenniges commentatione in periodico *Melissa*, anno 2007, edita cui index *Quo modo P. Vincentius Scheil O.P. antiquissimas Babyloniorum leges cecinerit*.

Mesopotamia ubi latuerit quidve sibi velit non est nostratium vel incuriosissimus qui ignoret, neque ullus est quin compertum habeat, cum atrox quod illic et perpetuum geritur bellum impia fraude indictum scelesto dolo patratum nefaria incuria protractum cruentis omnium ob oculos imaginibus versetur. Nullus autem dubitationi relinquitur locus, neque ulli homini docto latuit umquam, postquam Orientis arcana inde a saeculo XIX litteratis Europae hominibus innotuerunt, quid veteri aviae nostrae Mesopotamiae et multiplex qui nunc est Oriens, et noster debeat cultus civilis, quaeve et quanta ad nostram humanitatem et mentem et spiritum, ad scripturam et scientias et artes et litteras antiqua inter flumina contulerit terra Babylonis.

Mirari profecto liceat cur antiquae Mesopotamiae cultus atque humanitas, cum totius Orientis aliquando exstiterit magistra, quae splendidis monumentis et documentis ornata per totum qui tum erat, a Perside ad Ioniam (Graeci cultus in Oriente incunabula) et Aegyptum et Arabiam versus innotuerit totumque informaverit orbem, primo iam mille annorum spatio quod Christum natum proxime antecedit spissis adeo sit obruta tenebris summaeque oblivioni tradita, ut numquam exstitisse videatur. […]

Paulo ante annum ter millesimum a. Chr. n. in ea Mesopotamiae parte quae ad meridiem spectat, praecipue in vetere oppido Uruk *(nunc: Warka)****, prima apparent in toto orbe terrarum humani cultus civilis vestigia****:* ***tum prima exstruebantur templa quae et rebus divinis et domesticis familiaribusque negotiis in civitate administrandis erant destinatam vasa prodibant fictilia variis figuris illita, sigilla pulchris imaginibus ornata in argilla imprimebantur, veterrima scripturae documenta in modum picturae primum fictae, dein in cunei formam simplicius redactae ordine et ratione redigi coepta sunt. Quae humanitatis cunabula Sumeris adiudicantur qui Mesopotamiae partes quae ad meridiem vergunt inde saltem a quarto mille annorum apatio ante Christum natum incolebant***.

1451. …
1452. …
1453. …
1454. …
1455. …
1456. …
1457. ….
1458. …
1459. …
1460. …
1461. …
1462. …
1463. …
1464. …
1465. …
1466. …
1467. …
1468. Carmen Sapphicum c.t. *Ad Glyceram* :

Est quod in votis: platano sub alta
hortuli tecum veteris sedere
occidens dum sol radiat per aurum
frondiferentis

atque sic os purpureum intueri
dulce ridentes oculos genasque
auribus haurire tuam loquelam
grata sonantis.

Hoc satis. Nil amplius est quod optem
et mihi iam sacrilegus viderer
omnia affectans avidus Diones
munera magnae.

Ast iuvet si te, Glycera, et beniga
unice me vis fieri beatum
audeam tecum Veneris serenae
carpere dona*.*

1469. …
1470. …
1471. …
1472. …
1473. …
1474. …
1475. …
1476. …
1477. …
1478. …
1479. …
1480. …
1481. …
1482. …
1483. …
1484. …
1485. …
1486. …
1487. …
1488. …
1489. …
1490. …
1491. …
1492. …
1493. …
1494. …
1495. …
1496. …
1497. …

ADDENDA

1498. De Iosepho Bernerio Theodericus Sacré haec retulit in commentatione cuius inscriptio est *de litteris saeculi duodevicesimi latinis*:

At in illud saeculum inquirenti ratio est etiam habenda codicum manu scriptorum, quibus opera continentur Latina. Vix enim credere potestis quot asserventur inedita adhuc et adhuc exploranda. Vel hac ipsa in Urbe, quae semper fuit Latinissima, singulae bibliothecae copia eiusmodi operum ingenti insigniuntur. Sunt sane in his quae quis cum fructu quaeque cum delectatione legat. Nam ut exemplum afferam, memini me, cum plura de Iosepho Bernerio comperire vellem, qui cum optimus Latinitatis poeticae, tum praeclarus dialecti Romanae erat auctor (obiit autem ineunte saeculo duodevicesimo), repperisse fabulam quandam in eo genere scriptam, quod 'Oratorium' plerumque vocatur, quo nomine Latino appellem nescio, 'melodramatium religiosum' forsitan nuncupem; quo Davidis illa et Goliae pugna sermone semipoetico, homoeoteleutis passim conspicuo, narratione brevi erat exposita; notulae musicae perisse heu videntur, supersunt versiculi, qui una cum aliis multis eiusdem generis opellis ineditis servantur in Romana bibliotheca nationis Italicae ; en affero versus paucos :

(Golia:) Unde venis? Tu quis es?
Haec audebis
Nec timebis
Robur mirum,
Fortem virum?
Sic te prodit vana spes?
Unde venis? Tu quis es?
(David:) Ego sum qui te prosternam!
Audax derides
Imbellem quia vides.
Sed timebis
Dum videbis
In me caeli vim supernam.
Ego sum qui te prosternam!

(Ios. Bernerius, David Golie interfector (Roma, Bib. Naz., cod. Ges. 240, ff. 135v-139r))